IDEÆ PIETATIS RELIGIOSÆ.

SEU

Modi, quibus formentur actus RELIGIOSÆ PIETATIS ad excitandam mentis devotionem; & in quibus priùs ſuggeritur intellectui materia recogitanda, tum deinde voluntati affectus in praxi.

Auctore

P. BARTHOLOMÆO NATHANAELE WASOWSKI è Societ. IESU.

POSNANIÆ,
Typis Collegij ejuſdem Societatis.
Anno M DC. LXXXVI.

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei. Eccl. 2.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Pſal. 118.

CHARISSIMIS FRATRIBUS
RELIGIOSIS.

NOn aliud hic ago Chariſſimi in Chriſto, quàm ſequor veſtigia Veſtra, procedentium ad montem Perfectionis, & apparantium oblationes Domino in actibus Veſtris Religioſis. Atq; idem agere videor, quod Iſaac ſecutus Abrahamum euntem ad ſacrificium in monte offerendum, dum tædas & ignem deferebat, apparatum ſacrificio neceſſarium. Cum enim Ideas Pietatis Religioſæ vobis affero, per quas & intellectus inſtruatur, & voluntas in affectu accendatur, tædas & ignem portare videor ad Veſtra ſacrificia, quæ Deo quotidie offertis in actibus Religioſis,

nem-

nempe hostias laudis & holocausta in ara Pietatis Religiosæ. Hæc autem igne indigere solent, quia Deus ipse ignis consumens, frigida non amat sacrificia, sed quæ spiritu incalescant, & igne amoris consumantur. Vestræ igitur Charitati opellam hanc dedico, per quam servire volui ad facilitãdum studium circa orationes, & similes actus Religioni solitos: nec non ad præferendam facem aliquam in via Perfectionis tendentibus, per allatos Asceticorum sensus, ex quibus piæ voluntatis motus eliciuntur: Si hæc verè præstiti, quæ volui, Domino id nostro cedat ad honorem, Vobis ad obsequium.

APPROBATIO Officij.

IDEÆ Pietatis Religiosæ, ab A. R. Patre BARTHOLOMÆO NATHANAELE WĄSOWSKI, Societ: JESV Collegij Posnań. RECTORE, *pro personis instituti Religiosi, devoto Spiritûs compositæ affectu, quas dum A R.R. Charissimis vitæ Religiosæ adscripsit Fratribus, non tamen adeo strictè solis alligavit, ut & non alij licet extra statum Religiosum existentes de ijs possint pro utilitate animarum suarum abundè participare; quod in me ipso legendo expertus sum. Quare dignas luce publicâ judicavi, authoritate Reverendissimi Officij Generalis Posnan. die 6. Ian: Anno 1686.*

STEPHANVS MORĘSKI
S. T. D. Canoń. Cathedr.
& D. M. Magdalenæ Præpositus
Posnań. mpp.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
Societ. IESU, per Polonias.

Concedo facultatem, potestate mihi facta ab Adm. Rendo. Patre Nostro CAROLO *de* NOYELLE *Præposito Generali, impressionis Libri conscripti à P.* BARTHOLOMÆO NATHANAELE WASOWSKI, *cujus libri titulus* IDEÆ PIETATIS RELIGIOSÆ. *In horum fidem præsentes manu nostra subscriptas & sigillo munitas dedimus Calissij 18. Augusti Anno 1685.*

IOANNES HERMANI
Societatis IESU.

Ad Lectorem benevolum.

IDeas Pietatis Religiosæ non aliud esse volui, quã formas quasdam, quibus actus nostri Religiosi efformarentur Deo acceptiores, & Spiritu devotionis magis animati, contra distractiones autem mentis muniti. Actus inquam Religiosi, qui sunt psalmodiæ, Meditationes, Orationes, Visitationes Ven: Sacramenti, assistentia Missæ, Communio Sacramentalis spiritualisq; ac similes.

Duplices porro Ideæ ponuntur, Generales, & particulares. Jllæ

sunt

ſunt, quæ univerſim omnibus acti-
bus præmitti poſſunt, vel immi-
ſceri: hæ vero ad determinatos
quoſdam tantum actus applicari.

Uſus idearum erit facilis, ſi in-
ſtructio, quæ praxim præcedit in-
telligatur, & ordo materiæ; vel, ſi
argumentum Ideæ memoriâ tene-
atur, ſaltem compendio collectũ,
& in imaginatione bene collocatũ.
Tunc facile affluent verba, & mo-
tus affectuum in ipſa praxi. Sequi
inde poterit innutritio quædam
ſpiritus, ut non jejuna omnino a-
nima in conſpectum Dei veniat.
Facilis autem erit excurſio devoti
animi ab una Idea ad aliam, cum
plus indulgere devotioni placue-
rit; uti, ab exercitio Præſentiæ
Dei, ad adorationes, ad tributorũ
exhi-

exhibitiones, & vias amoris Dei, aut, quæ Idea obuiam se dabit memoriæ.

Poterunt denique subservire eædem Ideæ adsupplementa aliquorū actuum Religiosorum, Meditationis potissimum, si puncta materiæ deficiāt aut mala dispositio capitis meditationi par non sit, aut frigus desolationis spiritum contrahat, facilius ex assuetis Idearum affectibus mens incalescet.

Si quando tempus arctum urgeat, potest per compendia Ideæ mens progredi, summa tantum capita percurrendo non explicatis singillatim subdivisionibus.

Ita Ideam viarū Amoris Dei per sūma capita decurrere quis potest.

Amo Te Domine omni Amore bene-

benevolentiæ, omni amore concupiſcentiæ, omni amore appretiationis. Amo per omnes gradus Perfectionis; per omnes modos Evangelij, & ſcripturarum. Amo per omnes extenſiones ad exempla Sanctorum; ad rationes ob quas Tu amandus es; ad omnes creaturarum motus & appetitiones; ad oppoſitionem & contradictionem omnibus actibus impiorum & damnatorum. Amo per omnes intenſiones diligentium Te in cælo & in terra. Atq; his omnibus modis Te amplector, & in unionem ſtrictiſſimam & cordialiſſimam me Tibi immergo.

Tu Lector benevole pretium addes de Tuo, opellæ huic, cum impulſu ex ea ſumpto meliora meditaberis.

ELENCHVS IDEARVM PIETATIS RELIGIOSÆ.

JDEÆ PARTICVLARES

Ad actus determinatos Pietatis Religiosæ.

JDEA I.

Pietatis Religiosæ.

Ex Præsentiæ Dei Exercitio.

I. HOc actu homo sistit se per potentias & affectus animæ, Deo præsenti tanquam spectatori auditoriq; suo perpetuo; à cuius conspectu velut abit homo e domo sua, per obliuionem, aut auulsionem intellectus & voluntatis, ad alia exteriora, relicto domi hospite Deo. Hoc intelligit Augnst? 10. Conf: Eras mecum & ego non eram tecum; hoc est, per memoriæ præsentiam & deuotionis affectum. Jnde Ambros. Præsentior est Devs, ait, diligentibus, negligentibus abest. Itaq; vitaliter est in memoria cum recogitatur, in intellectu cum cognoscitur, in voluntate cum diligitur. Si hæc præsentia non curatur, Deo ita homo adest sicut lapis & lignum.

II. Finis exercitij huius est, quod summé æstimatur ab Asceticis; muniri contra peccata & defectus; facilius progredi in via Perfectionis; avellere mentem à terrenis, & vnitu esse Deo; conuersationemq; cœlestem acquirere.

III. Non est omnino cogenda imagi-

natio, vt conetur veluti videre DEVM specie viri, aut alterius rei, sufficit fide viua recognoscere DEVM per immensitatem suam in se & circa se præsentem spectatorem auditoremq; suum. Similitudinem præsentiæ Divinæ affert August: lib. Conf: 7. sicut spongia in mari immenso demersa vndiq; penetratur: ita homo in DEO. Globus quoq; crystallinus à sole circum & intra penetratus radijs repræsentat præsentiam DEI. Vincentius Caraffa Generalis Societatis IESu tria tabernacula in corde suo disposuit: in primo deponebat suas vitalitates, peccata, pœnasq; ; vocabatq; tabernaculum veritatis. Alterum sanctitatis, dabat Christo, ibiq; deponebat passionem eius, merita & amorem in genus humanũ. Tertium præsentiæ DEI, perfectionum eius, & Personarum SSæ Trinitatis. Ad hæc tabernacula mentem suam avulsam ab exterioribus reducebat, & in eis materiam deuotorum affectuum paratam inveniebat. Sed Fides viua multum confert ad hoc exercitium, licet imaginatio non accedat, illa enim facit interdum vt homo quodam modo velut resentiat DEUM, & viuacius illi præsenti immergat se. Sicut vnicuique DEVS diuisit mensuram fidei vt dicitur ad

Rom. 12. Inde Auguſt. de Tem. ſ. 1. Paſ. Sicut cuiq; à DEO parata eſt menſura fidei, ſic quiſq; proficit.

Multum equidem prodeſt huic exercitio maiuſculum tempus dare, adiunctis alijs ideis infra ſequentibus, ſed etiam breui peragi poteſt inter negotia.

IV. Praxis exercitij huius eſſe poteſt, per actus iſtos, quibus addi poſſunt, quos ſibi quiſque proficuos experietur.

1. Adoratio interior profundiſſima, addita inclinatione capitis; nam in priuato loco, corporis etiam demiſſio multùm confert ad deuotionem.

2. Redditio tributorum ex fine creationis, Laudis, honoris, amoris, ſpei, timoris, conformitatis cum voluntate, & aliorum, ſiue nominatim exprimantur, ſiue generali nomine tributorum

3. Poteſt addi renouatio intentionum huius diei, aut particularis intentionis pro occurrenti neceſſitate aut deuotione.

4. Poteſt addi & actus virtutis ex examine particulari, aut actus victoriæ alicuius vitij.

Si longiori deuotione in hoc velit morari, in primo actu adorationis poſſent adorationes adnecti Perfectionum diuinarum, aut Excellentiarum Chriſti.

PRA-

PRAXES

Ideæ Præſentandi ſe Deo tales eſſe poſſunt.

1. IN cuius conſpectu ſto, & ambulo, adoro Te DEVS meus hic & in omni loco dominationis Tuæ. Et reddo Tibi tributa mea, fidem, ſpem, amorem, obſequium & timorem; actiones meas omnes & verba conuerto in eadem tributa; & in gratiarum actionem. In victoriam vitij mei, in actum virtutis ſuſceptæ ad exercitium.

vel. Præſento me Tibi immenſe DEVS, infinite, æternè, incommutabilis Domine; ô perpetue auditor & inſpector mei. Præſento Tibi & omnia, quæ intra me ſunt, benedicant nomi-

ni ſancto Tuo. Omnibus poten-
tijs, appetitibus rationalibus &
ſenſitiuis, paſſionibus & ſenſi-
bus adoro Te, atq; amplector,
omnia hæc in amorem Tui con-
uertendo.

vel. Et ego ſemper tecum. In oculis Tuis, in Tua cogniti-
one, in Te ipſo ſum, abſorbe-
or. Toto etiam me adoro Te,
amo Te, amplector omni fide,
ſpe, timore, gratitudine. Am-
plexum Tuum, amplexu meo
reddo, toto me meiſque affecti-
bus in Te conuerſis

vel. Prope es Tu Domine,
& adoro Te præſentem in me,
in cælis regnantem, hic mecum
operantem: adoro, benedico Te,
amo Te, & cum his creaturis

præſentibus quarum motus, actiones, & paſſiones, conuerto in laudem Tuam, prout ſunt exquiſitæ in omnes voluntates Tuas; & in amorem Tui, prout pro illis ſupplere deſidero in Te amando, honorando, glorificando.

vel. Hic & hic adoro Te mi DEVS, vbi aliquando contemptus fuiſti, vt compenſem honorem Tuum. Vbi laudatus fuiſti, addo de meo quidquid poſſum honoris, obſequij, & amoris. In omnibus rebus, etiamq; atomis iſtis Te exiſtentem totum adoro, & toties quot atomi inueniri poſſunt.

vel. Redeo ad Te Domine, ab omnibus alijs rebus & ne-

gotijs auello me, measque potentias, intellectum, voluntatē, & memoriam; ijsq; effusis in amorem Tui & reuerentiam procido. Adoro semper præsentem, omnipotentem, omnia operantem, omnia vivificantē, omnia nutrientem, omnia conseruantem, mecum viuentem, mecum spirantem, meum in morte spiritum recepturum.

vel. O quomodo per oblivionem abiui à Te Magne DEUS? à Te in me manente, vniuersum gubernāte, judicante, decreta ferente. Immò in me æterne Pater generas Filium, ambo vero spiratis Spiritum Sanctum, & ego abibo ad exteriora terrena, tanquam filius prodigus

ad porcos paſcendos? Procido in conſpectu Tuo in me, vſque ad abyſſũ nihili mei vilitatumq; mearum; eleuo autem me actibus & meritis Domini mei JESU ad laudandum Te honorandumq;, & amandum perpetuo affectu, in quem conuerto omnes alias actiones, quibus me obruit vita præſens O quando, ô quando, nil aliud, niſi JESUM cogitem, videam, & nunquam receſſurus poſſideam!

V. VSus huius Exercitij poſcit ſtata tempora habere, quibus exerceatur, 1. vti ante omnem actionem grauiorem, ac præſertim ante orationem & meditationem, Miſſam & examina conſcientiæ. 2. etiam ad horarios pulſus campanæ, 3. ad templi aditum, ad comparitionem coram venerabili Sacramento. 4. ad ingreſſum cubiculi ſui. 5. cum itur & reditur per cu-

ritoria, ne mens dimiſsâ occupatione otioſæ vagetur.

Aliquando fuſius poteſt elici actus iſte, aliquando quaſi iacto oculo per ſenſum actuum & affectus, quod poſt exercitationem aliquam non erit difficile.

Contra obliuionem induſtria eſſe ſolet; ſignum exterius ponere obuium ad commonendam memoriam. veluti, oculum in lumine, diffundentem radios in tabella pictum; aut in veſte ad pectus occultum ſignum; alijs calculus in calceo qui pungat, placet, alijs alia.

Ne aſſiduitate eorundem verborum frigeat exercitium iſtud; variari poteſt imaginatio & verba occaſione feſtiuitatum, aut Euangelij currentis Dominicæ. Circa Natalitia feſta, præſepe in corde ſuo ponere Domino JESU, & ad eum recurrere cum paſtoribus, & cum Regibus, aperire theſauros cordis ſui, adorare cum Beatiſſima Matre, & cum S. Nutritio, illius Diuinitatem ſibi præſentem intime; deinde Humanitatem eius & excellentias: diuiſis hiſce actibus in diuerſa tempora & horas aut dies.

JDEA

JDEA II.

Generalis pro accessu ad omnē actum Sacrum, aut ad opus singulare.

Per appropriationem sibi bonorum Christi, & applicationē intentionum Sanctarum.

I. STatuat se mente coram DEO in vilitatibus, fragilitatibus, animalitatibus indignitatibusq; suis, & peccatis, cum magna vilificatione sui: ideoq; pro dignitate tanti conspectus superinduat ipsum Christum, quod iubet Apostolus, eiusq; diuitias & pulchritudines, vt gratum se exhibeat SSmæ Trinitati. Possumus autem hæc appropriare nobis, quia illa nobis tulit, nostraque esse voluit. Nam pro nobis tradidit illum Pater æternus, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Rom: 8. Sic induti possumus lucrari complacentiam Dei super nos, sicut in illo sibi bene complacuit.

II. Diuitiæ autem istæ Christi sunt merita, gratiæ, virtutesq; eius, affectus, inten-

tiones,

tiones, actus interni & externi, labores, dolores & cum morte cruciatus, seu passio eius tota. Itemq; complacentiæ in illo, filiatio, & officia Messiæ Saluatorisq; & variæ excellentiæ dignitatesq;, quibus assumptis & appropriatis sibi homo gratior venit in conspectum Dei, ac præcipue in accessu ad Sacrificium illi offerendum.

III. Et quia peccatum turpitudine sua pugnat, cum pulchritudine Domini JESU, tepiditas quoq; nauseam facit Deo, contra gustus de Christo; præmittenda est contritio breuis, ante induitionem tam pretiosi apparatus; & semper deberet velut anteambulo præcedere omnes actus nostros, dolor de peccatis, si quid mereri volum9, cum spe certiore.

IV. Huius induitionis pulchritudinum Christi, ratio est, quod nostra merita parui momenti sint, & imperfectiones multæ depretient nostras actiones, debent uniri actionibus Christi & perfectionibus, quas nobis appropriare possumus, quia earum heredes facti sumus.

V. *Praxis & idea huius induitionis & appropriationis esse potest eiusmodi.*

Sisto

SIsto me in cōſpectu Tuo Sanctiſſima Trinitas, me demerſum quidem in vilitatibus meis, & lacerum ex nullitatibus, peccatiſque indigniſſimis, pro quibus vehementer doleo ex amore Tui & æſtimatione. Sed ſuperinduo illis, pulchritudines & diuitias Domini mei JESU, quarum me participem fecit; Hoc eſt. Induo merita virtuteſq; ejus, affectus & intentiones, labores, actiones & paſſionem eius, dignitates, filiationem & complacentias guſtuſq; ab eo Tibi exhibitos. Reijcio autem omnia deſideria humana, temporalia, creaturarum omnem amorem & complacentias vitæ huius. Atq; ſic indutus Domino

meo JESV, nec non meritis & virtutibus Beatissimæ Matris, ac dilectorum Tuorum Patronorum meorum defero Majestati Tuæ hoc N: 1. Ad gloriam Tuã, vt Te per hoc glorificẽ & magnificem sicut Tu dignus es, & Christus meus Te glorificauit. 2. Ad gratiarum actionem, vt gratitudinem exhibeam pro acceptis à Te. 3. Ad Satisfactionem pro reatibus meis; 4. & vt compensem meas defraudationes honoris, amoris, & seruitij Tibi debiti, 5. Ad meritum gratiæ & gloriæ Tuæ, 6. Ad impetrationem gratiæ mihi necessariæ, præsertim. N. Ecclesiæ quoq; Patriæ, & Ordini meo necessariorum. 7. Ad gustus Tuos

exsatiandos, complacentiasq; in Christo filio Tuo, & ad adimplendos gustus sanctissimarum Perfectionum Tuarum in me & ex me, præsertim absoluti Dominij Tui supra me, Sapientiæ, Iustitiæ & Misericordiæ, Bonitatis & Prouidentiæ Tuæ.
8. Deniq; ad reddendam Tibi veram fidem meam, spem firmam, charitatem perfectã, Religionem, timorem & obsequium, & quidquid subditus Tuus Tibi debeo, hoc in opere isto exhibeo.

Possunt hæc breuiori compendio verborum expediri, sensus horum puuctorũ mente decurrendo.

JDEA III.

Ex Adorationibus DEI.

MOdum adorandi Nomen JESV docuit Apostolus, cum genu Cælestium, Terrestrium & Infernorum. In Cælo quoq; visi sunt 24. Seniores cecidisse in facies suas & adorasse DEVM Apoc: 11. Et est actus primus Religionis, adoratio.

Duplex hic ponitur genus adorationis DEI; primum de seipso & in seipso exhibendæ; alterum imitativum, seu cum omnibus creaturis in ordines ab Apostolo distributis, hoc est cælestibus, terrestribus, & inferis.

In primo, procidat homo demissione intima.

1. In abyssum nihili sui primi antequã crearetur, & indignitatum suarum.

2. Jn abyssum peccati, & defectibilitatũ suarum.

3. In totum esse mortale & corruptibile.

4. In totũ esse immortale & finem non habiturum demergendo se.

5. In vilitatibus suis physicis & moralibus.

6. In omnibus & per omnia, quæ intra me ſunt; quæ enumerantur in Jdea VII.

7. In omni loco Dominationis Dei.

Jn ſecundo genere adorationis adiungit ſe homo omnibus creaturis, vt cum illis adoret earum affectibus, & per diuerſas rationes, quibus differunt à ſe.

Primæ adorationes cum Angelorum Ordinibus & choris ſingulis, vſurpando illorum proprium triſagion ſeu canticum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth; Pleni ſunt &c. interea ſubintelligendo diuerſas rationes eorum adorandi, prout diuerſas Dei perfectiones repræſentant, & prout chori inter ſe differunt.

Secundæ adorationes cum Beatis in cælo ex humano genere; per verba: Gloria Patri & Filio &c. ad ſingulas differentias illorum.

1. Cum Humanitate Domini JESU in terris agente, patiente, triumphante.

2. Cum Beatiſſima Matre.

3. Cum Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis

4. Cum Martyribus, Confeſſoribus, Anachoretis.

5. Cum Virginibus, Viduis, Coniugatis.

Tertiæ adorationes cum terreſtrium creaturarum genu, verbis: Gloria Patri & Filio, &c.

1. Cum Ecclesia militante.

2. Cum Ordine sui status militante.

3. Pro impijs & peccatoribus.

4. Pro & cum creaturis irrationalibus, prout sunt exquisitæ in omnes voluntates Dei, & faciunt verbum eius: earum actiones & passiones connertendo in adorationes; & quia ita sunt sicut DEUS illas esse voluit.

Quartæ adorationes cum Inferorum genu, etiam per verba: Gloria Patr, &c.

1. Cum animabus Purgatorij assumptis earum affectibus præsertim amoris & desiderij erga DEUM, & patientiæ conformis voluntati Dei punienti.

2. Pro damnatis, compensando malos affectus eorum in DEUM: & quasi conando supprimere blasphemias illorum, collaudare verò Iustitiam Dei.

3. Jn suo purgatorio, quod se promeruisse humiliter agnoscit; assumendo futuros ibi affectus suos in DEUM.

4. Jn Inferno & loco sibi pro peccatis assignato, nisi pœnitentiâ tollatur: conuertendo malos affectus loci illius in gloriam & amorem Iustitiæ Dei.

Praxis

Praxis Adorationum.

ADoro Te DEUS meus profundissimè, & procido coram Te in abyssum nihili mei, & in abyssum peccatorum meorum, me à Te infinito, tantundē deprimentium. Adoro Te immensum, infinitum, æternū, incommutabilem Dominum, in toto esse mortali & corruptibili: in toto etiam meo esse immortali & æterno; Procido in omnibus vilitatibus meis physicis seu naturalibus & moralibus. In omnibus & per omnia, quæ intra me sunt, adoro hic & vbiq; præsentem, omnisciū auditorem & inspectorem meum; & adoro in omni loco Domi-

natio-

nationis Tuæ, atq; benedico de me, in me,& per omnes atomos meas. Et laudabilis,& gloriosus & superexaltatus esto in sæcula.

Assumo & omnium creaturarum adorationes, cum de me indignissimus sim conspectu Tuo, adoroque.

1. Cum SS. Angelis, Archangelis & Principatibus, iuxta eorum rationes Te adorandi & glorificandi. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria Tua.

2. Adoro cum Potestatibus, virtutibus, Dominationibus, earumque affectibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.

3. Cum Thronis, Cherubinis & Seraphinis: in eorum perfectionibus, excellentijs & motibus ad Te glorificandum, Sanctus, sanctus, Sanctus &c.

4. Adoro & in particulari cũ S. Angelo Custode meo, cum cuius actibus coniungo omnes vitæ meæ actiones; Sanctus, Sanctus, &c.

5. Adoro Te Domine & pro Angelo, qui excidit à gratia Tua, & locum eius Tua bonitate & misericordia occupaturus sum, iamq; suppleo illius in Te affectus debitos; Sanctus, Sanctus. &c.

Assumo & adorationes Beatorum Tuorũ in cælis ex humano genere: & in primis adoro

1. Cum Sanctissima Humanitate Domini JESV in terris vivente, patiente & agente. Gloria Patri & Filio &c.

2 Cum Beatissima eius Matre Maria, prout per illam Tibi glorificari placuit. Gloria Patri &c.

3. Cum SS. Patriarchis, Prophetis, Apostolis. Gloria Patri, &c

4. Cum SS. Martyribus, Confessoribus, Anachoretis. Gloria Patri, &c.

5. Cum Virginibus, Viduis, Coniugatis; Gloria Patri, &c.

6. Cum Ordine meo, Societate triumphante. Gloria Patri &c.

Assumo adorationes terrestrium

um creaturarum.

1. Cum Ecclesia militante. Gloria Patri &c.

2. Cum militante Ordine meo, Societate. Gloria &c.

3. Pro impijs & peccatoribus suppleo. Gloria Patri, &c.

4. Pro irrationalibus omnibus entibus; & cum illis adoro prout sunt exquisita in omnes voluntates Tuas, & faciunt verbum Tuum. Gloria Patri &c.

Assumo & adorationes creaturarum inferarum, & cum earum genu adoro.

1. Cum animabus Purgatorij, earum affectibus præsertim amoris, desiderji, conformitatis & patientiæ. Gloria Patri & Filio, &c.

2. Pro damnatis, præoccupādo & compenſando malos eorum affectus. Gloria Patri &c.

3. Jn meo Purgatorij loco procido. Gloria Patri &c.

4. Jn meo loco in Inferno, quem promerui peccatis meis, adoro, & nunc Te ibi amo, laudo, Sanctiſſimam Iuſtitiam Tuam, Gloria Patri &c.

Notum autem eſt triplicem eſſe adorationem iuxta triplicem cultum; Latriæ, qui ſoli DEO exhibetur tanquam vni ſupremo Domino, & præter quem nemo eſt alius proprio modo & abſolutè Dominus; proinde adoratio quoq; profundiſſima & maxima illi debetur. Alter cultus Duliæ eſt, qui competit ſeruis Dei, quos ipſe dignatus eſt honorare in cælo & beatos facere. Ideo ſicut cultus, ita & veneratio illis redditur, vt ſeruis Dei honoratis. Tertius cultus Hyperduliæ debetur Matri Filij Dei, tanquam inter ſeruos Dei honoratiſſimæ, quos omnes excedit dignitate & merito.

Hæc Idea adorationum accommodari poteſt, alijs actibus præcipuarum virtutum, vti Amoris in DEUM, ducendo actum per eoſdem ordines creaturarum, cum illis, & per earum rationes amando & eleuando amorem; irrationalium autem actiones & paſſiones, nec non Inferorum pœnas conuertendo, ex ſua parte in eundem actum amoris.

JDEA IV.

Ex tributis DEO debitis ab homine, vt rationali creatura.

QVas DEVS intentiones habuit in creando homine, conſeruãdo & redimendo poſt peccatum, ad eas ſe referre debet idem homo, vt eas adimpleat, & exequatur. Quid autem melius aut maius voluiſſet DEVS, quam gloriam ſuam, beneplacitum, obſequium & amorem ſui? Et homo cui ſe impendere poteſt dignius, quã his, quæ DEO debet titulo creationis, redemptionis, & conſeruationis? Proinde ea veluti tributa ſua debet reddere Deo Domino ſuo, in omnibus operibus & cogitatis ſuis, fragmentiſq; eorum. Ad maiorem autem

valorem

valorem eorum vnienda sunt, cum actionibus, meritis & affectibus Christi Domini.

Primum tributum est Gloriæ, venerationis æstimationisq;. Et Gloriæ quidem, qua DEVS ipse dignus est, quam Christus reddidit, & eius exemplum dedit, & quã ego debeo de toto meo posse, & desidero exhibere.

Secundum tributum Gratiarum actionis gratitudinis & benedictionis pro beneficijs innumerabilibus, mundo, Ecclesiæ, Patriæ &c. sibi collatis. 2. Pro benignissimis processibus ad creaturas, præcipue ad homines per vnionem hypostaticam, per Eucharistæ communionem & commansionem nobiscum corporalem. 3. Pro effusione Diuinarum Perfectionum in genus humanum, præsertim Misericordiæ & Libertatis, Prouidentiæ, sapientiæ, & Omnipotentiæ: effusis plurimis bonis naturæ, gratiæ & gloriæ in cælo, de quibus & ego participo.

Tertium tributum gustuum sanctissimi beneplaciti, sicut eos exhibuit Christus, & complacentias Patri suo in se: & sicut nos possumus per conformitatem voluntatis nostræ, per induitionem voluntatis Divinæ, exuitionem verò nostræ, & per oblationem

noſtri ad ea, quæ vult DEUS iuxta illud. Iube quod vis, & da quod iubes.

Quartum tributum guſtuum & complaciti diuinarum Perfectionum, petendo, vt in ſe illæ ſingulæ manifeſtentur, celebrentur, & glorificentur; ſapientia Dei, Iuſtitia & Miſericordia, Dominatio, Ptouidentia, Omnipotentia & aliæ. Sicut enim Angeli in ſe repræſentant Perfectiones diuinas, ita homo affectu ſuo poteſt ſe extendere ad aliquam repræſentationem illarum, deſiderando vt in ſe manifeſtentur & glorificentur, quod in Lazaro reſuſcitato factum eſſe innuit Euangelium.

Quintum tributum ſatisfactionis pro reatibus culpæ & pœnæ. Simulq; compenſationis tributum, pro defraudationibus omiſſionibus & neglectibus eorum, quæ debẽt DEO reddi in ſupradictis tributis, & ſequentibus, nimirum amoris, timoris, obſequij &c.

Sextum tributum Amoris & virtutum; inprimis diuinarum, ſeu quæ immediate in DEUM tendunt & quæ mediantibus his referuntur, vti fidei, ſpei, timoris, Religionis, Pietatis conformitatis cum eius voluntate, & contritionis. Deinde aliarum virtutum exprimendarum ſaltem generalibus differenti-

rentijs; vti, virtutum Cardinalium, & ad proximum relatarum, virtutum Consiliorum Christi, Religiosarum, suiq; Ordinis, aut Officij, de quibus agitur Jdea sequenti.

Usus Jdeæ huius esse potest in formanda intentione pro actu aliquo notabili & difficiliore, vel mane faciendo intentioné pro totius diei agendis, dicendis, cogitandis, vel pro tota vita sua, sub titulo tributorum. Addendo tamen intentionem meriti & impetrationis, scilicet, vt merearis gratiam & gloriam, & ut impetres tibi necessaria ad salutem, perfectionem & ad vitam temporalem; ac generice necessaria mundo, Ecclesiæ, Patriæ, Ordiniq;. Quodlibet enim opus hominis potest esse glorificatiuum Dei, gratiarumactivum, satisfactorium, compensativum, & ex virtutum variarum motivis procedens: quibus accedit multum, si Christi actionibus vniantur.

Possunt simili ratione formari tributa Reginæ Mundi Beatissimæ Mariæ ex cultu hyperduliæ illi debita, vti laus, veneratio, amor, obsequium, & pij affectus. Pariter & tributa ex cultu duliæ deduci possunt Sanctis Dei & Patronis proprijs.

Praxis Ideæ & forma intentionum esse potest quæ breuiter ponitur.

COmpareo in conſpectu Tuo Sanctiſſima Trinitas, cum omnibus tributis meis tanquam Domino meo, vni, & maximo debitis à me creatura rationali, titulo creationis, redemptionis, & conſeruationis mei in obſequio Tuo Et primum tributũ profundiſſimæ adorationis, gloriæ & æſtimationis reddo. Gloriæ quidem, qua ipſe Deus meus dignus es, & quam Chriſtus ipſe reddidit, & inter nos in mundo reſtaurauit Totum autem hoc tributum reddo de toto meo eſſe & poſſe, & per omnia quæ intra me ſunt, adoro, veneror, æſtimo & glorifico.

Exhibeo & tributum gratiarum-actionis, gratitudinis, & bene-

benedictionis, pro beneficijs mundo, Ecclesiæ, Patriæ, Societatiq; meæ, mihi meisque, collatis, quæ nec numerari, nec capi possunt Pro benignissimis processibus à Te ad creaturas, præsertim ad hominem, per vnionem hypostaticam, per communionem Sacramentalem, & commansionem nobiscum corporalem. Et pro effusione diuinarum Perfectionum in genus humanum, Misericordiæ, Prouidentiæ, Sapientiæ, & Liberalitatis; à quibus multa bona naturæ, gratiæq; accepi, & expecto promissa bona gloriæ in cælis.

Tributum quoq; gustuum Sãctissimo Tuo beneplacito, & complacentiarum, quales Chri-

ſtus meus de ſe exhibuit.

Tributum guſtuum ſanctis Perfectionibus Tuis, vt in me & de me manifeſtentur & glorificentur.

Tributum ſatisfactionis pro peccatis meis. Et compenſationis pro defraudationibus meis gloriæ Tuæ, amoris, & obſequij, ac debitorum à me Maieſtati Tuæ.

Tributum deniq; exhibeo virtutum Chriſtianarum, & inprimis, quæ me in Te ducunt immediatè, fidei meæ, per quã Te gnoſco, ſpei, & charitatis per quas Te amplector ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus meis. Deinde Timoris, Pietatis, & Religionis. Virtutũ

quoq; Cardinalium, Iustitiæ, Tēperantiæ ac Fortitudinis pro honore Tuo. Virtutum ad proximum relatarum; virtutum consiliorum Domini Jesv, ac Religiosarum, vocationisq; meæ. O Domine, quia ego seruus Tuus tributarius, ne respicias peccata mea, sed Filij Tui merita, in quorũ vnione hæc Tibi tributa mea exsoluo, vt simul cũ illis merear apud Te gratiã seruitio Tuo ad implẽdo necessarias: & vt impetrem mihi apud Tuam Maiestatem, quæ scis & vis mihi dare necessaria: nec non Ecclesiæ Tuæ, Patriæ, Societatiq; meæ augmenta &c.

Suppleo deniq; vices in reddendis tributis aliarum creatu-

earum irrationalium, præſertim quæ mihi ſubſeruiunt in vita mea temporali, & ex illis & pro illis reddo Maieſtati Tuæ, adorationem, laudem, amorem exaltationem, obſequium, & executionem verbi Tui, ac beneplaciti Tui DEVS.

JDEA V.

Ex virtutum Chriſtianarum Ordinibus varijs, ſeu diuiſionibus, earumq; exercitio.

QVis magis debet noſſe virtutes earumq; ordines, quam homo, qui tenetur tendere ad Perfectionem? cum ea ſine virtutibus haberi non poſſit. Seruiet hæc Idea ad ordinanda exercitia virtutum; ad occupandam mentem decurſu actuum illarum; & ad intentiones matutinas eleuandas ad maius meritum, ſi aliqua facienda offerantur ex motiuis variarum virtutum.

Actus virtutum non solum eliciuntur in occasione postulante eosdem, sed etiam hac absente, si rarius occurrat, & tunc manent in voto & affectu, cum exercentur sine occasione propria.

Primo itaq; disponuntur virtutes per suos choros seu ordines, deinde actus earum magis obuij afferuntur. Deniq; modi eleuandi actus virtutum, & augendi ad meritum.

§ I.

Ordines Virtutum.

I. Primus Ordo virtutum est Theologicarũ, & earum quæ mediantibus istis in DEUM tendunt.

Fides, Spes, Charitas.

Religio, Pietas, zelus gloriæ Dei.

Timor, Contritio, Conformitas voluntatis, Gratitudo, Benedictio, Obsequiũ, Præsentiæ Dei cultus, & Christi imitatio. Huc adduci possunt & virtutes quæ circa tenentes locum Dei & circa Potestates exerceri solent.

Obedientia, Reuerentia, Amor, & Fidelitas. Et:

Et quæ circa amicos Dei, Honor, Imitatio, Gratulatio.

II Secundus ordo & chorus virtutum Cardinalium 4, in quibus cæteræ morales subsistũt.

1. Prudentia in qua est 1. Cognitio Dei, 2. Electio bona mediorum ad salutem & Perfectionem.
3. Executio bonorum consiliorum.
4. Amor scientiarum solidarum ad Gloriam Dei, & proximorum salutem.

2. Iustitia in qua est, Pœnitentia ad satisfactionem Deo.
Amor proximi sicut sui.
Pietas in parentes & maiores suos.

3. Temperantia, in qua
Castimonia, sobrietas, mansuetudo,
Passionum & affectuum moderatio,
Paupertas voluntaria,

4. Fortitudo in qua,
Perseuerentia in bono,
Patientia & tolerantia asperorum,
Inimicorum amor, condonatio offensarum.

III. Tertius ordo virtutum ad Proximum.

1. Cha-

1. Charitas & zelus animarum Deo lucrandarum.
2. Misericordia in Spiritualibus & temporalibus.
3. Justitia suum cuiq; tribuens.
4. Pietas, 5. Liberalitas, 6. Gratitudo.
7. Condonatio damni, offensæ, & reconciliatio.
8. Amicitia, Fidelitas, Clementia, Longanimitas.

IV. Quartus ordo virtutum Consiliorum Christi: in quo & virtutes Religiosi status reponuntur.

1. Paupertas voluntaria, Castitas Angelica, Obedientia cæca.
4. Honorum omnium contemptus, & repulsa.
5. Perfectionis acquirendæ studium.
6. Amor vocationis religiosæ, & Perseuerantia.
7. Martyrium voluntarium.
8. Mors pro Fratribus.
9. Ex S. Gregorio; nullas contumelias reddere.
Pro maledicentibus orare.
Rapienti non resistere,

Per-

Percutienti alteram maxillam præbere.

10. Abnegatio vniuersæ sensualitatis & proprij amoris.

Huc spectant vota priuata & personalia.

V. Quintus ordo virtutum ad seipsum spectantium, vitæ priuatæ & subiectæ.

1. Pœnitentia & puritas conscientiæ.
2. Abnegatio amoris proprij,
3. Humilitas cum vilificatione sui.
4. Amor salutis & perfectionis suæ.
5. Custodia sensuum.
6. Negligentia corporis & sensualium.
7. Victoria sui etiam in licitis.
8. Actio prudens ex dictaminibus Spiritualibus.
9. Intentio recta in actionibus.
10. Veracitas & fidelitas,
11. Compositio motuum etiam primorũ.
12. Modestia interior & exterior,
13. Obsequia humilia.

VI. Sextus Ordo virtutum Officij. Virtutes pastoritiæ Præsidum.

1 Amor in suos paternus, comitas & facilitas colloquij.
2 Prouidentia pabuli Spiritualis & corporalis;
3 Portare infirmas oves etiam cum suo incommodo,
4 Quærere perditas, aut perituras; iuuare
5 Esse vt forma gregis ex animo & exemplo. (no.
6 Mori pro ouibus earumq; bono æter-
7 Amari & timeri ex reuerentia.
8 Actio ex ratione & consilio maturo!
9 Disciplinæ domesticæ custodia constãs,
10 Cura domesticorum in Spiritualibus.
11 Paritas ad omnes.
12 Accurrunt & aliunde virtutes aliæ,
Fiducia in Deum, Fortitudo in aduersis,
Constãtia pro bono gloriæ Dei & Domus
Fuga vitiorum pastoritiorum, (suæ.
Duritia in tractandis suis,
Mœror & furor in malo successu,
Præsumptio de honore,
Commoditatum singularitas,
Negligentia suorum.

Sunt virtutes aliorum quoq; Officiorum, quæ illis maxime conueniunt, licet alibi quoq; reperiantur. Sunt & virtutes Senij, Virorum, Iuuenum; item virtutes Gradu

um in Religione, quas vnus quisq; sibi accommodabit pro suo Gradu aut ætate, qui ad complementū Perfectionis contendere studuerit.

Jnueniuntur & virtutes appropriatæ Religiosis Ordinibus, quorum diuersitas & decor ex varietate illarum elucet. Quæ autē Societati nostræ appropriatæ sint, subiungo quamuis apud alios quoq; inveniantur.

VII. Septimus Ordo virtutum Sacrorum Ordinum, quos inter est Societas Jesu.

Classis virtutum Societatis Jesv.

1. Zelus salutis animarum, Perfectionisq; suæ & alienæ.
2. Abnegatio intellectus & voluntatis, omnis honoris & commoditatum.
3. Obedientia perfecta in intellectu, voluntate, & in execu ione.
4. Castitas Angelica.
5. Paupertas ad deterrimum, quod domi est.
6. Amor contumeliarum & contemptuum ad exemplum Christi.
7. Manifestatio conscientiæ.

8. Subie-

8 Subiectio delationi, & famæ resignatio ad illam.
9 Dignitatum intra & extra Societatem abdicatio.
10 Obsequia Spiritualia sine stipendio.
11 Mortificatio in omnibus quærenda.
12 Institutio Christianæ doctrinæ.
13 Appretiatio maior virtutis, quam doctrinæ & talentorum.
14 Patientia in pœnis absq; culpa.
15 Modestia interior & exterior.
16 Amor vocationis & perseverantia.

Jn his ordinibus non vbiq; virtutes omnino distinctæ ponuntur, sed aliquæ sunt actus aliarum: spectantur verò tantùm, prout in aliquo ordine locum habent.

§ II.

De actibus virtutum magis obviarum in particulari.

1. Duplices sunt actus virtutum, interni & externi, atq; hi ab illis procedere debent & dirigi, alioqui indifferentes esse possunt, nisi ab internis modificentur. Insanus potest eleëmosynam dare, quæ sine actu interno pietatis, inconsulta donatio erit. sic obedientiæ actus executiuus exterior,

or, nisi procedat ab interno, erit minus habens.

2. Actus virtutis potest indui multiplici bono & merito, si fiat ex motiuis variarum virtutum, v. g. obsequium aliquod humile ex motiuo amoris Dei, & proximi, itemq; humiliationis aut victoriæ sui: ad imitationem quoq; Christi passi, vel Sancti Patroni.

Fidei Actus.

Potissimum circa essentiam Dei & Perfectiones, Trinitatem & vnitatem; circa Christum, Ecclesiam eius & Sacramenta: circa Sanctos Dei, circa damnationem errorum hæreticorum.

1. Submissio capitis, seu Intellectus, iudicij sensusque sui, veracitati Dei, & reuelationi, Ecclesiæq; eius authoritati.

2. Paratum esse ad dandum testimoniũ Fidei Catholicæ, & mysterijs vitæ Christi, sanguine & profusione vitæ.

3. Protestari se in Fide ita firmum esse, vt portæ Inferi præualere contra non possint.

4. Damnare omnes hæreticorum errores ab Ecclesia damnatos.

5. Præsentiam Dei viuaci apprehensione

ne recognoſcere, & vbiq; adorare: nec non ad præſentiam SS. Sacramenti Chriſtum præſentem reſentire quodam modo, & mẽte compoſita venerari.

Spei Actus.

1. Nolle ſpem vllam habere in ſuo poſſe, & in omnibus creatis: ponere autem illam in ſola potentia & bonitate Dei, ac in meritis Chriſti.
2. Spes & deſiderium ſolius ſummi boni,
3. Spes & fiducia de remiſſione peccatorum, per merita Chriſti.
   De Gratia perſeuerantiæ
   De victoria tentationum & aduerſitatũ
   De ijs, quæ in oratione Dominica petuntur.

Charitatis Actus,

1. Amor beneuolentiæ, quod in ſe DEVS & ſibi bonus ſit, dignuſq; amari: qui actus fertur in bonum Dei.
2. Amor concupiſcentiæ ex eo quod ipſe noſtrum bonum ſit.
3. Amor appretiationis, longè ſupra omnia creata.
4. Unio ſui arctior cum Deo, excludendo omnia ab intermedio, inter Devm & inter ſe,

5 Con-

5 Conformitas in voluntate, deinde exuere suam, vt induatur voluntas Dei.
6 Pro amore Dei difficilia aggredi, heroica, & victoriosa.

TIMORIS DEI ACTUS.

1 Reuerentialis, admirando Maiestatem, eminentiam super omnia, & distantiam sui nihili respectu illius.
2 Filialis timor, vti erga Patrem, non ideo ne percutiat, sed ne deserat pater, & reijciat à facie sua.
3 Seruilis timor, qualis est erga dominum serui, aut rei erga Iudicem, ne puniat, in vita quidem malis temporalibus, post mortem, inferno.

RELIGIONIS ACTUS.

Ista Fidei fundamentis insistit & cognitioni Perfectionum diuinarum, indeq; format reuerentiam, æstimationem & subiectionē.
1 Altissima de Deo persuasio, æstimatioq;
2 Adoratio profundissima interior & exterior,
3 Cultus Dei per sacrificium incruentum
4 Usus Sacramentorum, & Sacramentaliū,
5 Oblationes præsertim sui per vota, propositaq;,

6 Gra-

6 Gratiarum - actiones, supplicationesque privatæ & publicæ,

Prudentiæ Actus.

Prout est dux virtutum moralium, ad finem Gloriæ Dei, & amorem eius,

1. Deliberatio de medijs opportunis ad consequendum finem, cum puritate intentionis; amouendo fraudem, & intentionē finis indebiti.

2. Decernere post deliberationem, quæ media arripienda sint constanter, ad consequendum finem.

3. Executionem promouere circa electa: ubi armanda voluntas contra difficultates & lassitudines.

4. Superare imperfectiones oppositas sanctæ Prudentiæ; vti est prudentia Sæcularis, deceptio & simulatio; præcipitantia in agendo, & reflexionis defectus.

5. Adiungere alias virtutes agendis à Prudentia, illarumq; motiua.

Fortitudinis Actus.

1. Timorem superare, & quidquid trahit ad deficiendum in via virtutis: metū quoq; mortis, vt fugiatur peccatum mortale, & deliberatum veniale.

2. Me-

2. Media vocationis statusve sui strenue arripere, quantumvis difficilia, longa, & grauia.

3. Tentationibus occurrere generoso animo, & statim victoriam exercere. Vinco me Domine, vinco hunc impetum in me &c.

4. Labores suscipere in gloriam Dei, & bonum proximi,

5. Alias virtutes adiungere his actibus, præsertim diffidentiam suis viribus, fiduciam in auxilio Dei, contemptum terrenorum, desiderium supernorum.

TEMPERANTIÆ ACTUS.

Potissimi sunt in compositione Passionum, in mortificatione omnis sensualitatis, & in gulæ attemperatione; pro hac vltima actus sunt,

1. Sola necessitas est lex cibi & potus: necessitatem verò metitur valetudo, labor, mensura sufficientiæ, & virtus interueniens, mortificatio, aut pœnitentia.

2. Nolle singularitatem in escis,

3. Contentum esse communibus, loco & tempore debitis, non laxato freno appetitui.

4. Non loqui de escis, cogitationes curasq; de ijsdem fugere.

Paupertatis Religiosæ Actꝰ

1. Amor eiuſdem, interiorq; diſpoſitio, ne fugiantur occaſiones illius.
2. Quærere & optare exercitium illius ad extra.
3. Abdicatio & abnegatio omnis Dominij proprietatis, qui actus eſt ſubſtantialis.
4. Uſus rerum communium, ſine ſingularitate vlla.
5. Electio rerum viliorum.
6. In defectu rerum æquanimitas, immo lætitia.

Castitatis Religiosæ Actus.

1. Amor & appretiatio eiuſdem, qualis eſt in Angelis.
2. Adhibere virtutes cuſtodes eius.
   - Vigilantiam ad initia ſuggeſtionum & cogitationum.
   - Mortificationem tanquam loricam contra hoſtem.
   - Recurſum ad Deum & Sanctos.
3. Subtrahere ſe mentemq; à præuiſis occaſionibus.
4. Familiaritatẽ confidentialem non admittere cum perſonis vitandis.
5. Oculorum, tactuſq; ſolicitam habere cuſtodiam.

Obe-

OBEDIENTIÆ ACTUS.

1. Deum agnoſcere in ſuperiore.
2. Exequi iuſſa cum ſubmiſſione intellectus, & promptitudine voluntatis.
3. Gradus obedientiæ perfectæ, ita moueri à Superiore ſicut baculus à ſene, aut cadauer à veſpillone.

CHARITATIS FRATERNÆ RELIGIOSÆ:

1. Hæc deſcribitur 1. Cor: 13. Patiens eſt, benigna, nec æmulatur; non agit perperam, non inflatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non eſt ambitioſa; omnia ſuffert, omnia ſuſtinet; qui eius actus ſunt.
2. Deum in Fratribus agnoſcere, ideoque eos æſtimare & amare, bene interpretari eorum acta, cum licet, & iudicio cedere.
3. Optare omne bonum, congaudere & compati.
4. Non confundere, non contemnere, non reprehendere, non reuelare confuſiua, nec commemorare.
5. Velle omnibus ædificationem afferre, & exemplum ad perfectionem.

6. Obſe-

6. Obſequium charitatiuum, & cum incommoditate ſua.
7. Heroicæ charitatis actus erga quoſcunq;
Mors pro Fratribus in Christo.
S. Paulini venditio ſui pro redimendo altero.
Infirmi vlcera lambere,
Crudelia aut famoſa perpeti, pro lucro animæ cuiuſcunq; .
8, Defectus Charitatis euitare, alios à ſupra poſitis.
Suſurrium, & ſeminatio diſcordiæ
Curioſa inſpectio defectuum.
Singularitas amicitiarum offenſiua.
Moroſitas in conuerſatione.
Duritia animi inflexibilis ad parcendū, ad compatiendum, ad conferendū eaquæ petuntur.

Humilitatis Actus.

Fundantur in cognitione ſui, ſuorumque defectuum, boni verò alieni
1, Æſtimationem ſui exuere, ob ſuum nihil, & ob peccata, quæ magis Deo dolent, quam aliorum.
2, Viliora præeligere, cum datur electio.
3. Declinare honorem, commoditates, & ſplendidas amicitias,

4. Sua non laudare, aut modesto silentio contegere laudata: dolere autem de laude sua.
5. Errores suos non excusare, & propalare citra offensionem alicuius.
6. Dignum se multis malis iudicare, cum meruerit aliquando forte infernum.
7. Heroicæ humilitatis est, acceptare detractionem doctrinæ, ingenij, virtutis, officijq; cum nota publica.

POENITENTIÆ UIRTUTIS ACTUS

1. Odium & detestatio peccati, quod hominem hostem Dei facit, estq; malum priuans bono infinito, & in tempus infinitum.
2. Dolor cordialis, cum sensu tenero de commissis, & cum displicentia, atque amaritudine.
3. Propositum vitandi & abolendi commissa.
4. Pœnæ assumptæ & vindicatio honoris diuini de seipso, aut per occurrentes dolores, & acerbitates gratè susceptas, aut potiùs per voluntariè susceptas.
5. Charitas in Deum compēsationem offensarum statuet, patientia exequetur.

Patientiæ Actus.

1. Tranquillitas & pax interna, expulsâ tristitia & angoribus in occursu aduersitatum & dolorum.
2. Vincere metum & horrorem in accessu mali.
3. Vitare querelas, murmura, effusionem amaritudinis ex malo illato: nec suam innocentiam, alienam vero culpam, explicare.
4. Non assumere media illicita, & aliquãdo licita ad propulsandam iniuriam.
5. Non concipere indignationem, quæ retardet a cœptis pro gloria Dei, & à bonis propositis.
6. Venerari voluntatem Diuinam ordinantem aut permittentem mala, eiq; donare omnia condita amaritudinibus.
7. Amor Crucis & calicis à Christo oblati; eiusq; gustum concipere & desiderium.
8. Aduocare alias virtutes earumq; motiua in auxiliũ patientiæ, vti Amoris Dei, Abnegationis & Pœnitentiæ.

Mortificationis Actus.

1. Voluntariam facere perpessionem eorũ,

quæ cogimur perferre, cæli & hominum iniurias, morbos, bella, deprædationes.
2. Acceptare ea aduersa & afflictiones, quæ ex officio, negotijsq; enascuntur.
3. Spontaneæ macerationes & afflictiones.
4. Victoriæ sui, in ijs quæ licita sunt, & complacita.

Praxis eliciendarum virtutum fieri potest. vel coram SSma Trinitate, vel coram Christo per imaginationem sibi repræsentando, velut oblationes, offerre actus virtutum, pertranseundo ordines earum, si non omnes, illos ergo quos placuerit.

OMnipotens, adorande, tremende Domine, sisto me in conspectu Tuo, licet illo indignissimus, in assistentia Sanctorum Patronorum meorũ, quorum me cooperio Sanctitate & meritis, atq; oblationes meas &

as & munera Tibi offero, de paupere cordis mei thesauro, id est virtutum exercitium & affectus, quibus Diuinam Tuam maiestatē profundissime veneror & glorifico.

Inprimis defero Fidem meam, Spem, & Charitatem. Et Fide, inclino caput meum, intellectum & sensum, captiuoq; in obsequium, reuelationibus Tuis Ecclesiæ Catholicæ datis, cuius authoritati quoq; me subijcio totū. Credo in Te Deum meum, vnum in natura, trinum in personis, Creatorem ac Dominum meum, præmiatorem bo- *Fidei actus.*

norum, vindicem autem malorum, atq; ubique præsentē, immensum, infinitū, adoro in omni loco dominationis Tuæ. Credo & in JESUM Christum Filium Dei Incarnatum, Redemptorem meum in sanguine & morte sua. Admitto & veneror Sacramenta Sanctissima, omnēq; doctrinā Ecclesiæ Catholicæ, damno verò errores & dogmata, quæ illa cōdemnauit. Quis mihi det his veritatibus testimonium exhibere sanguine & morte mea, aut cadere in expugnandis portis Inferi, Fidei hostibus.

Spei. Spem meam nullibi nisi

in Te

in Te Deus repono, atque Tuam bonitatem principio lætitiæ meæ ſtatuo; de cuius manibus ſalutem, & omnia expecto; oculoſq; meos in illis ſolis fixos teneo. Meis autem viribus, laboribus & virtutibꝰ non fido, ſed meritis dulciſſimi Jesu mei, ex quibus ſpero remiſſionem peccatorum, in Tua gratia perſeuerantiam, victoriam tentationũ, & quæ in oratione Dominica petere ab illo edoctus ſum.

Charitatem quantã Tibi debeo, Deus meus? in eam totum me effundo; omneſq; affectus, inclinatio- *Charitatis.*

nes & desideria in eam conuerto. Tu scis Domine, quia amo Te, omni amore beneuolentiæ, quo Tibi omnia bona volo, & cum damno meo, cum destructione mei, mearumq; rerum, vt Tibi soli bene sit Amo & omni amore concupiscentiæ, & gratitudinis, quo Te vti summum & infinitum bonum meum complector, ex toto corde, & totis viribus animæ meæ.

Amo & amore appretiationis, longe supra omnia quæ non sũt Tu, prout possum etiam infinitis modis eleuo appretiationem Tui, super alia omnia; à quibꝰ singulis auello totum affectum amoris & desiderij, etiamq; à meipso, vt arctiùs sine interme-

dio quocunq; Tibi vniar, tota volunate; immo & hanc exuo, Tuam induo, Tuisq; amoribus, Teipsum amo & amplector. Et quia proximum quoq; propter Te & in Te amari voluisti, omnes ac præcipuè mihi non addictos, & forte iniurios, hostesq; meos in Te amplector, & offensas quascunq; illis condono, Tuo autem honori consecro.

Tu Deus deorum omnium es, quos mundus honorat, ergo omnes adorationes, venerationes, genuflexiones profundissimas Tuæ Majestati defero, vti Domino meo hereditário, & *Religionis.*

Patri meo filius adoptionis & seruus minimus.

Defero perennes gratiarum-actiones, sacrificia laudis, oblationes incruentas altaris in Ecclesia Tua tota, oblationes de meipso, votorum meorum, desideriorum bonorum, intentionum & actionum mearũ. Tibi vni omnis gloria sit, cui me deuoueo, & pro qua omnibus bonis meis renuntio, vt illam lucrifaciam.

Scio Domine quia Dominus percutiens es, fortis & justus, sed ego magis reuereor Majestatem, admiror eminentiam incom-

parabilem, imperceptibilē; sed etiam timeo, ne reijcias me à facie & gratia Tua, ne ex peccato aliquo hostis fiam, quàm, ne punias me manu Tua. Magis Domine timeo peccatum & offensam Tuam, quam Infernum. Sed tamen in ira Tua ne corripias me; atq; per merita Christi Tui supplico, ne peccatis permissis punias peccata mea. *Timoris.*

Proinde cor contritum suscipe, & dolorem meum quod Te aliquando offenderim. Doleo autem ex toto corde & amore Tui, ac appretiatione dignitatis Tuæ infinitæ, quod ego *Pænitentiæ.*

ver-

vermis indignissimus leuauerim contra Te calcaneum meum. Amplius autē mortem, præeligo omni peccato, & offensæ Tuæ: atq; vt satisfaciam Iustitiæ Tuæ, merita Crucis Christi, mortemque ipsius offero, quibus subijcio meas satisfactiones.

Voluntatis se conformantis

Quomodo audeam non sequi voluntatem Tuam, DEVS in conspectu creaturarum? quarum plurimæ libertate arbitrij carent, sunt tamen exquisitæ in omnes voluntates Tuas, & faciunt verbum Tuum. Fiat, fiat in me, ex me & per me voluntas Tua, cuius omni bene-

neplacito me ſubijcio. Simul autem pro honore tuo ſubijcio me & ijs, quoſcunq; mihi Tui locum tenentes dediſti, Dominis & Præpoſitis meis, quibus ſubiectionem amorē & obſequium fidemq; meam reddo, Tuæ verò Sanctiſſimæ conſecro voluntati.

Affero quoq; munera virtutum Cardinalium Diuinæ Maieſtati Tuæ, & quidquid in eis Perfectio Chriſtiana incluſit, ac virtutum moralium varietas.

Benedico & glorifico Sāctiſſimum Nomen Tuum, ex eo quod me rationalem creaturam feceris ad hono- *Virtutum Cardinaliū.*

rem

rem Tuum; volo quoq; rationem ſequi, veritatis indicem, in obſequio Tuo, & non abduci ſenſualibus deſiderijs motibuſq; animalitatis, vt de Intellectu meo fructum honoris referam Tibi, quo vti volo ad cognoſcenda mandata Tua, & beneplacita, ad obſequia Tua & proximi mei bona. Reijcio prudentiam ſeculi, deteſtor deceptionem omnem, ſimulationē, temeritatem, cæcos impetus amoris proprij; accepto verò omnem legem Prudentiæ, ſub qua Tuæ Majeſtati ſeruire volo.

Ex Iuſtitia mea volo imprimis compenſare damna laudis Tuæ, honoris, & obſequij, defraudationes quoq; amoris Tui,

& timoris, easq; à me commissas, & quidquid subtraxi de tributis à me debitis. Compenso nunc maximè ex thesauro meritorum Domini mei JESV; deinde actionibus vitæ meæ, quibus volo augere laudem amoremq; Tui & obsequium, quæ pro fine vitæ meæ mihi constituo. Volo & proximo meo reddere, quod eius est, & quod illi ex mandato Tuo debeo; inferioribus, æqualibus & me superioribus tribuo quod illorum esse voluisti.

Ex temperantiæ legibus, inijcio frenum concupiscentiæ inobedienti legibus rationis & mādatorum Tuorum; nec non impetibus sensuum, passionum &

affectuum humanorum, inclinationibus in malum protrudentibus. Adiuua Domine infirmitatem meam contra domesticos hostes meos, stimulos peccati, ne me colaphisent.

Vi & virtute Fortitudinis Christianæ eleuo animam supra omnem oppressionem aduersitatum & afflictionum; armo me contra assultus peccati, ne me deijciant ex gradu amoris & obsequij Tui; eleuo me supra omnem infirmitatem humanam, supra iniurias & persecutiones, inter quas meipsum vinco, & spolia hæc defero honori Majestatis Tuæ.

Profero ad munera mea & vir-

virtutes ad proximum ordinatas; omniumq; salutē æternam amo & desidero, prout cupio omnes gloriæ Tuæ lucrifacere. Paratus sum auxilium cuiq; ferre, in Spiritualibus maximè, & in temporalibus, quod ex me fieri possit, præterquā, quod cuique volo omnia bona, saluti eius non aduersantia, non tantùm volo cuiq; esse sua. Jllum verò amorem quem Tibi debeo, ex mandato Tuo termino in omni proximo, pro cuius salute etiam mori exemplo dulcissimi mei Redemptoris cupio. Deniq, omnes humanas ami-

Virtutum ad proximum.

citias & fauores ſicut & inimicitias aut auerſiones metior ſola gloria Tua, cui hæc omnia conſecro. Simul verò inimicos, aut auerſos à me, ſi qui ſunt, in Te veneror & amplector, quos in cælo Tecum amare ſpero & deſidero.

Virtutum ex Conſilijs Domini. Virtutes quoq; Conſiliorum Domini JESU huc affero. Abnegationem ſeculi totiùs, & meiipſius, paupertatem voluntariam, caſtitatem Angelicam, cæcã obedientiam, contemptum & repudium omnis honoris & dignitatis, ſtudium perfectionis, amorem inimicorum omnium in ge-

nere,

nere, & in particulari meorum, quos ſub Cruce Domini Jesu amplector, & pro illis, ſicut & pro Fratribus mori non refugio, ſi hæc voluntas Tua fuerit.

Denique affero ea, quæ domi meæ naſcuntur, munera, hoc eſt virtutes quæ ad meipſum referũtur: Pœnitentiam pro peccatis meis cum dolore cordiali ex amore Tui ſolius profluente, & cum ſatisfactione atq; cõpenſatione honoris Tui. Humilitatem Chriſtianam quæ me multarum commonet vilitatum, & peccatorum meorum. Victoriã mei, pro amore & honore *Virtutum ad ſe*

Tuo: victoriam intellectus & voluntatis, desideriorum & appetituum, sensualitatumque omnium Mortificationem quoq; & violentias patientiæ cum amore Crucis

Tibi vni omnis laus & gloria ex omnibus, & per omnia, quæ intra me sunt, benedictio, mihi autem confusio de peccatis meis.

Hic locus est & virtutum suæ vocationis, ac Officij; virtutum quoq; ad exercitium, aut examen susceptarum, quarum praxis ex earum actibus facile componi potest ad suam deuotionem.

§ III.

Gradus Virtutum in genere.

Tres sunt potissimi pro vsu ad exercitium cuiuslibet virtutis.

1. Primus est impedimenta frangere virtutis, & hostes eius debellare, hoc est vitia

tia

tia contraria & peccata ex illis nasci solita.

2. Secundus gradus est, etiam venialia exterminare, quæ contra virtutem sunt, exercitio autem virtutis, ita proficere, vt facilitas eius acquiratur, & accessus ad sublimiores actus.

3. Tertius gradus est, in quo virtus perficitur per excellentes actus, ita, vt in quiete sit deuictis hostibus, sicut fortis armatus in atrio suo. Heroicos actus suos attentat; isti autem sunt, qui cum extraordinaria difficultate, quæ illos circumstat, exercentur; cum aut magnum bonum dimittendum est, aut malum ingens impedimentumue superādum.

§ IV.

Modi eleuandi actus virtutum, extendi, & perficiendi in affectu.

I. Primus modus per extensionem.

1. Ad creaturas rationales & irrationales, in genere.

2. Ad varios cætus hominum; in terris cū Ecclesia, & iuxta eius perfectionem, cum

San-

Sanctis viuentibus Religiosis omnibus, Catholicis eorumq; varia ratione id agendi. Vices verò agendo & compensando pro idololatris infidelibus hæreticis, & peruersis Christianis omnibus & singulis.

3. Ad tempora eorumq; momenta, horas, annos, sæcula, mortem, & æternitatem.

4. Ad locorum diuersitates, per totum cælum, terram, purgatorium, infernum, contra eius omnia genera malitiarum, & perpetuitatem obstinationis.

5. Per ea omnia, quæ in homine sunt, per potentias animæ, appetitus omnes concupiscibiles & irascibiles, seu passiones singulas, per sensus omnes & affectus, actiones, motus, spirationes suas & atomos omnes.

6. Vsq; ad destructionem sui, exinanitionem & annihilationem.

II. Secundus modus per Intensionem eleuatiuam.

1. Sicut Deus ipse dignus est, vult, & facit.

2. Ad exigentias ipsarum Perfectionum Diuinarum: Sapientiæ, Sanctitatis, Bonitatis &c.

3. Ad plenam imitationem Christi, seu Christi-formiter, Mariæ modis eleuatissimis,

mis, Sanctorumq;, & huius Sancti Patroni N.

4 Intendendo per progressus arithmeticos, deinde Geometricos virtutem eleuando & perficiendo.

III. Tertius modus exaggerandi actus virtutum.

Per modos viarum Perfectionis. Nam quælibet virtus in vnaquaque via reperiri potest, sed non æquè perfecta, per gradus autem perficitur, vsq; dum veniat sicut sol ad meridiem.

Jn via Incipientium virtutis cuiusq; hostes debellantur, vincuntur contrariæ inclinationes & habitus, vitantur defectus maiores, & exercentur actus inferiores.

Jn via Proficientium, facilitas acquiritur in exercitio virtutis alicuius & habitus: occasio oblata illius exercendæ acceptatur libenter, immo & quæritur; sublimioribus autem modis elicitur.

Jn via Perfectorum ascendit virtus quælibet ad sublimiores actus difficiliores & heroicos. Vult imitari Christum & sanctos, vsq; ad destructionem hominis & bonorũ eius, actus suos eleuat sicut maior Dei gloria digna est.

Usus

Usus istius Jdeæ pro varia occasione ser-uire potest; ad meditationem aut supplen-dam, aut dilatandam, ad communionem Sacramentalem seu præparando & ornan-do animam virtutibus, seu hospitem Chri-stum, velut donarijs honorando, seu actibus virtutum amplexum illius accendendo, li-cet non omnes ordines simul decurran-tur.

Praxis modorum amplificandi, extendendi eleuandiq; virtutes & actus earum, per extensionem, In-tensionem, & per gradus Perfecti-onis. Per hos modos amor Dei, & glorificatio eius deduci potest.

QVis mihi dilatet ita cor me-um, ut Te DEVS meus a-more meo comprehendam? ô possim Infinitum Te infinito a-more amplecti! quod autem possum, ecce amo Te extensiuè in omnibus creaturis Tuis, earũ

motus,

motus, inclinationes, actiones & passiones assumo, conuertoq; in copiosiorem amorem Tui, in enarrationem gloriæ Tuæ, ut nihil sit in quo non ameris à me & glorificeris

Assumo & omnes actus amoris & laudis omnium Te amantium: Ecclesiæ Sanctæ, & singulorum fidelium, Religiosorum, & quicunq; Te ardentiùs amãt, meosq; illorũ actus facio, atq; per omnes varias rationes eorum, Te amo & laudo. Qui autem Te ignorant & negligunt, pro illis, contra illos, & contra omnes actus illorum oppono actus amoris mei; pro illis amo Te & glorifico.

Extendo amorem meum &

laudem Tuam per omnes locorum differentias, per totum cælum, ſolem, lunam, & ſtellarum ignes; per terram totam eiuſq; abiſſos; per omnes atomos iſtorum, vt punctum mundi non ſuperſit, in quo Te non adorem, amem & glorificem, ſicut in omnibus Tu præſens es, & dignus omni amore: etiam in Inferno contra damnatorum malitiam obſtinatiſſimam, amo Te, & omnem gloriam reddo.

Et omnia quæ intra me ſunt, laudent nomen Domini, atque in amorem Dei mei ſoluantur, omnes potentiæ meæ, appetitus, ſenſitiuæ actiones, ambulationes & locutiones, omnes ſpirationes, velut ſi ſolo amo-

re Tui viuam & ſpiritum ducam.

Extendo me & ad omnia tempora, actuſq; amoris, ad omnia ſæcula, annos, dies, horas, & momenta, ad punctum mortis meæ, totamq; æternitatis extenſionem, ut momentum non inueniatur, in quo non velim amare Te, amemque actu ipſo atq; collaudem.

O poſſim ſine termino & ſine modo diligere Te. ſemper & ſemper amplius ardentiuſq;: per omnes inprimis progreſſus arithmeticos & per omnes Geometricos: Potiùs ita Domine, ſicut Tu dignus es amari, & glorificari. Ita ſicut Chriſtus amauit, ac Beatiſſima Mater,

Sanctique in beatitudine sua amant. Denique vsq; ad exigentiam, gustusq; sanctissimarum Perfectionum Tuarum, Sapientiæ, Bonitatis Sanctitatisque.

Amplificatio actuum virtutis per modos viarum Perfectionis, continetur in Extensione ad varios cœtus hominum, inter quos sunt, Jncipientes viam Perfectionis, Proficientes & Perfecti. Hi verò quas rationes habeant diuersas quamcunq; virtutem exercendi, supra dictum est, ex quo facilis praxis emerget.

JDEA VI.

Ex tribus vijs Perfectionis Christianæ.

QVi tendere debent ad Perfectionem, quod debent omnes Religiosi, illi etiam debent nosse vias eius, & per quos actus decurrendæ sint. Et quamuis in vltima via Perfectionis Charitas poni soleat, quæ est vinculum Perfectionis, tamen eti-

am in prioribus reperitur: ſed in prima via eſt veluti infans & debilis, in ſecunda adultior & robuſtior; in tertia virilis, robuſtiſſima, & nunquam ad debilitatem conſeneſcens. Ita fere quælibet virtus eoſdem gradus habet, & ita per vias Perfectionis promouetur.

Primæ viæ Perfectionis quæ Purgatiua dicitur, & incipientium, actus & officia ſunt.

1. Conuerſio ad DEUM, vel à ſæculo, vel à peccatis tantùm & vita licētioſa, idemq; finis eſt primæ viæ.
2. Victoria habituum malorum, & inclinationum, præſertim ſibi propriarum, difficultatumq; nouæ vitæ.
3. Peccatis tota vi reſiſtere ſaltem grauioribus, minoribus autem ſaltem deliberatis.
4. Pœnitentia frequens & ſatisfactio.
5. Cura diligens retinendæ Gratiæ Dei, pulſis eius hoſtibus peccatis.
6. Appetitum ſenſitiuum ſeu paſſiones animi frenare ad obſequium rationis, legiſq; Diuinæ.
7. Senſualitatem, quæ in ſenſibus viget, tēperantiæ legibus coërcere.
8. Intellectum & voluntatem mandatis Dei ſubiecta tenere.

9.

9. Assequi impeccabilitatem aliquam, hoc est, difficultatem in conscientia ad peccati occursu, obfirmatâ voluntate timore Dei offendendi, & amore; odio autem ipsius peccati, tanquam offensæ Dei.

Secundæ viæ Perfectionis, quæ Jlluminatiua dicitur, Proficientium, finis est, acquisitio virtutum cum habituali facilitate in earum exercitijs. Actus vero sunt.

1. Puritati animæ studere omnimodæ, per quam depuretur à venialibus.
2. Excutere tepiditatem & lassitudinem in via Perfectionis.
3. Imitatio vitæ Christi & Sanctorum.
4. Consilia Euangelica sequi.
5. Instrumenta Perfectionis arripere & cũ diligentia tractare: quæ sunt, Meditatio, examina, & inprimis Particulare examen, quod est, machina per quam vitia facile loco mouentur, & virtutes inducuntur. Sacramentorum frequens vsus, Renouationes & Recollectiones, Mortificationes priuatæ & publicæ.
6. Exercitium virtutum actuosum, cum occasio se offert, & affectuosum, seu per desiderium, cum in externum actum virtus prodire non potest, vti est, obedientiam exercere affectu, cum nihil impera-

peratur. Ordo autem virtutum assumēdarum ad exercitium sit, quem præsens necessitas Spiritus postulat; aut facilliores præcedant, in quibus minus est laboris.

Tertiæ viæ Perfectionis, quæ Vnitiua & Perfectorum dicitur, est vivere in Charitate Dei tanquam in termino viatoris hominis. Hoc insistit duabus rebus velut fundamentis, primo abnegationi vniuersæ proprietatis, & abiectioni, eius omnis, quod Devs non est: deinde vnioni animæ cum Deo suo. In eo statu, in pace locus eius, id est hominis perfecti, cui nullum bellum post victorias contrariorum, sed quies in profunda charitate. Actus eius sunt & officia.

1. Ex amore Dei feruentiore omnia agere & pati.
2. Puritas à leuioribus culpis, etiamque ab amore Spiritualium, sed imperfectiore.
3. Soliditatem virtutum assequi; quam nec tempus, nec occasio, nec malorum impetus eneruet, aut deijciat.
4. Contemplationi se dare: sed & actioni pro augenda semper gloria Dei, in illis quorum vita Mixta est.
5. Desponsatam habere voluntatem cum

Diui-

Diuina, immò exuere illam, hanc plene induere.
6. Heroica agere & pati pro DEO, id est difficillima.
7. Crucifixio sui cum Christo (quam docet Ambrosius) vbi pereat sibi homo, sui oblitus, suorumque.
8. Vnio sui cum DEO arctior, quo minus inter DEVM & hominem inueniatur eius, quod DEVS non est, vsq; ad nihil ipsum. Tunc homo abripitur in abyssum Diuinitatis, vbi Increatum esse suum ideale reperit.

Has vias Christus ipse indicauit, cum Mundum ad perfectionem duxit, nam primæ officium exercuit, dæmonia eijciendo, peccatores conuertendo, peccata expugnando & tollendo. Secundæ verò, docendo populum, mortuos suscitando, zelum gloriæ Dei exercendo, consilia sua inducendo. Tertiam in seipso executus est, in cruce moriens, eiectus ad latrones & supplicium, exspoliatus, expropriatus, exinanitus & in amore mortuus. Ita Mundum perfecit; malum Principem mundi eiecit, mortem vicit, captiuos eliberauit,

Pra-

Praxis huius Ideæ, vniuersam Perfectionis continebit materiam.

CLementiſſime Domine, vt me ditares majore theſauro gratiarum, poſuiſti pedes meos in via Perfectionis Chriſtianæ, in eaq; procido ad profundam in imperfecto meo adorationem. Deſidero vnice & amo Perfectionem, nam & amo & deſidero amare Te ſemper perfectiſſime.

Ante omnia pro honore Tuo Domine pugno ad beſtias, & cum belluis peccatis meis, habitibus & inclinationibus; vinco me, meumque pondus in malum me protrudens; vinco & ſupprimo fomitem peccati, omneſq; appetituum motus, qui

me pronum faciunt ad malum ab adolescentia. Confiteor Tibi, quoniam homo peccator sum, & cum peccatoribus conuersis doleo intimè de offensa Tua, pœnitentiam quoq; ago per omnia aduersa mea, & mortificationes. Da mihi Domine, nunquam gratiâ Tua excidere, sed adiuua infirmitatem meam, & obfirma contra omne peccatum ad perseuerantiam.

Jam verò cum Proficientibus desidero de virtute in virtutem progredi, ideoq; exercitia earum assumo. Detestor omnia etiam venialia, matremq; eorum tepiditatem in spiritu, quæ, sicut muscæ morientes perdunt suauitatē vnguenti; ita illa ope-

operum dignitatem. Trahe me post Te bone Jesv, ad imitationẽ Tui, consiliorumq; Tuorum, sicut sequi Te proximè, desidero

Ampliùs verò eleuo me ad viam Perfectorum. Et quid mihi est in cælo atque super terram, quid cupiam, nisi amare Te omni amore, amorisq; omnibus differentijs? Reijcio à me, omne, quod Tu non es, & mihi adhærere potest per affectum; vt in Te immediatiùs transmigrem, & transformer Abijcio intellectum & voluntatem, vt Tuâ ipsa viuam in Te, & Tu, Tuo beneplacito in me. Da Domine tantam vim spiritui meo, vt heroico obsequio & actibus seruiam Tibi; vt Crucifi-

gam meipſum ad latus Crucifixi JESU, atq; ut omnia perrũpam ad arctiſſimam vnionem Tecum, nec ipſa æternitate diſſoluendam. Ita amo Te mi Deus: ita perire mihi volo, ita in Te demergi in æternũ & vltra.

Praxis autem vnam virtutem ducendi per tres vias Perfectionis eſſe poteſt eiuſmodi, in exemplo Charitatis & laudis Diuinæ. ita breuiſſime.

QVis mihi det ita ſpiritu extendi, ut omnium creaturarum reſpectus ad creatorem ſuum quos habent, induam, cõuertamque in vnum amorem Dei mei, vt cum omnibus & ex omnibus ſimul amem Te Domine & glorificem?

Sed ſpecialiùs iungo me omnibus viam Perfectionis ingreſſis & incipientibus; cum illis amo & laudo Te, per omnes eorum rationes & modos. Cũ illis vinco me amoremq; proprium, & amorem creaturarum; vinco & macto omnem animalitatem, ſenſualitatem & concupiſcentiam in Sacrificium amoris & gloriæ Tuæ. Amo in omni dolore pro peccatis, & in omni ſatisfactione pœnitentiali.

Cum Proficientibus autem extendo me ad amorem Tui Deus meus per omnia illorum exercitia virtutum, & per ſingulos gradus profectus ſpiritualis. Deſidero virtutum mearum eti-

am augmentum, quibus extendam & augeam amorem meum.

Amo & laudo cum Perfectis & Sanctis, qui Te amant in hac vita perfectissime. Exuo cum illis omnes proprietates meas, & quidquid mei superest ab amante anima mea; induo solum amorem Tui. Doce me Domine amore Tui crucifigi, & destrui in Sacrificium laudis, & solui totum in amorem Tui: Da mihi per omnia mihi perire, & ad Te solum peruenire.

JDEA VII.

Ex anatomica ascetica hominis, seu eius distributione, juxta sensum Spiritualem.

Fit ea juxta Psal: 102. ductum, dicentis: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*

Diuiditur homo a Doctoribus Asceticis in superiorem & inferiorem; quasi homo structura sit ampla, cuius pars sit vna superior, vbi Dominus domus cum nobiliore familia habitat, altera inferior, pro familia minus digna: præterea tertiam diuisionis partem addamus velut carcerem & locum seruitutis.

Jn superiore parte domus istius anima habitat cum sua familia, quæ est.

1. Potentiæ animæ; id est, Intellectus, voluntas, memoria.

2. Appetitus rationalis, qui est amor, voluntatis actus primarius, vbi & alij affectus rationis legem sequentes locum habeant pro interim.

3. Libertas arbritrij; Honor; & Fama, Habitus Virtutum, & merita.

Jn parte inferiore domus habitat caro cum suis famulitijs & seruitijs. Talis est.
1. Appetitus concupiscibilis & irascibilis, seu passiones vndecim. Sex in concupiscibili appetitu. Amor & odium, Gaudium tristitia, Fuga & Desiderium.

Quique in irascibili. Spes, Desperatio, Timor, Audacia, Ira.

Pudorem nonnulli separatum addunt:
2. Phantasia & Imaginatio,
3. Sensus interni, quibus anima agit sine exterioribus subinde.
4. Sensus externi quinque.
5. Facultates viuentis corporis, Locutiua, Locomotiua, Vegetatiua, Somniatiua.
In reclusorio seu loco seruitutis habitant, quæ teneri debent & tractati seruiliter.
1. Desideria carnis & motus eius. Animalitas, Carnalitas, cum Bestialitate.
2. Concupiscentia oculorum & superbiæ, seu voluptatum, diuitiarum, & honorũ.
3. Amor proprius, 4. Fomes peccati.
5. Pondus naturæ in malum ruentis,
6. Inclinationes in 7. vitia capitalia.
7. Tentationes ex motu proprio, & externo tentatoris.
8. Fragilitates humanæ, duplices; aliæ vitiosæ; facilitas peccandi, inconstantia in bono, desideria praua, gustus in temporalibus.
Aliæ indifferentes, possunt tamen impellere in malum, fames, sitis, dolor & passibilitas, morbus, mors.
9. Peccata deniq; non deleta per pœnitentiam.
Officia horum omnium sunt.

1. Jn ſuperiori parte Anima debet ſuperior eſſe & domina carnis, & eius legi non obtemperare, ſed rationis, & mandatorum Dei.
2. Jntellectus principatum ſuum teneat, ne ſubijciatur inferiori parti, nec ſubdat ſe ſenſualitatibus. Recognoſcat vero ſuperiorem ſuum DEUM, Dominum, Patrem, & Iudicem. Acceptet Fidei dogmata cum ſubmiſſione, ac inſpirationibus Diuinis non reſiſtat. Ita quoq; ducat voluntatem.
3. Voluntas humana dicitur participata voluntatis Diuinæ perfectio, ideo debet reſpondere illi, & conformare ſe tanquam primæ Ideæ ſuæ. Debet quoque lumen intellectûs ſequi, non ducatum carnis, & appetitum eius.
4. Appetitus rationalis amor eſt, & proies voluntatis. Hic ſuas habet differentias: primo alius eſt Proſecutiuus, in motu & deſiderio boni, & alius Fruitivus, quieſcens in bono.

Secundo, alius Beneuolentiæ, totus in amatum effuſus, alius Concupiſcentiæ ex amato in ſuum bonum propenſus; & alius appretiationis, ex dignitate amati.

Tertio, alius affectuoſus per complacentiem,

am, in bono, alius actuosus, qui efficaciter agit circa bona amati.

Debet vero amare hoc, quod DEVS laudetur ab omnibꝰ creaturis, easque iuuare velit in laudando & amando: necnon cupere DEVM glorificari in æternum.

Velle talem se esse, qualem vult ipse Deus.

Quærere bona ipsius Dei. Vnire hominem DEO arctissime, & nunquam diuelli.

5. Appetitum concupiscibilem & irascibilem cum suis prolibus, ponunt docti in parte inferiori hominis & sensitiua, & cum illis D. Thomas; tamen concedit dici posse voluntatem irascibilem, quatenus ex rationis iudicio fugit & reprobat malum, desiderat verò bonum, non ex impetu Passionis sensitiuæ; ideo & spes ita locum habet in appetitu rationali. Quare & amorem alium rationalem & alium sensitivum esse placet Asceticæ Theologiæ authori. Sed ita alij aliqui saltem motus animæ à ratione possunt excitari, & sæpe à spiritu Pietatis commouenrur.

6. Memoriæ officium est, præsentem vbiq; DEUM sæpe agnoscere & venerari; Tenere legem eius, conseruare cognitionem & affectus in eundem. Abijcere quæ

quæ indigna ſunt memoratu, ſed retinere doctrinas & ſcientias debitas ſtatui.

7. Libertas, honor, fama, bene tractantur, cum Deo, gloriæ eius, & amori conſecrantur

Jn inferiori parte, quæ habitant, debent

1. Obtemperare mandatis Dei, & imperio rectæ rationis, ut rationales actus ſuos exerceant.
2. Seruire homini ad obtinendum finem, eius, ſalutem æternam, & non pertrahere ad interitum animæ.
3. Seruire vſu ſui ad gloriam Dei, timorem & amorem & obſequium reddendum.
4. Pati violentias & frena ad meritum hominis.
5. Eleuari ad dignitatem actuum rationalium ſupra temporalia, quantum fieri poteſt, à ſuperiori parte.
6. Non autem ſeruire hoſti hominis, velut inſtrumenta ad perditionem.

Jn loco ſeruitutis recluſa, debet 1. ſubeſſe, imperio rationis & voluntati timēti Deū.

2. Victoriam ſui & captiuitatem pati, à virtutibus.
3. Parata eſſe ad Sacrificium voluntariū Deo, velut mactanda animalia, ad meritum hominis.

Uſus

Usus istius Ideæ multis alijs Ideis subseruire potest pro augmento deuotionis. In exercitio præsentiæ Dei, & in adorationibus Deo reddendis, ac tributis; si ista dicantur per singula, quæ intra se sunt, côtenta, aut ad pleraq; applicentur, v. g. adoratio aut tributa reddantur ex singulis potentijs animæ, & appetitibus, sensibus omnibus, facultatibus viuentis corporis, & ex ipsis infirmitatibus suis. Ita actus amoris Dei potest per eadem omnia, duci, ad eius amplificationem. Ita & sumpto Sanctissimo Sacramento, possunt omnia illa ad Iesvm adduci, ad eius adorationes amplexus, & actus virtutum varios, petitionesq; vt Dominus Iesus imperet illis, còordinet, & emendet, detrudat infima de superiore parte ad locum seruitutis, si quæ dominātur spiritui.

Praxis Ideæ huius anatomicæ.

QVis ego sum Gloriosissime & Potentissime Deus, vt audeam præsentem me dare in conspectum Tuum & in cognitionem Tuam perspicacissimā!

Quia

Quia tamen creatura Tua ſum, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, effundo animam meam, & omnia abſcondita mea coram oculis Tuis; Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini Sancto eius.

Siſto Tibi inprimis animam & corpus, creaturas Tuas magna ſapientiâ & prouidentiæ manu vnitas, ſpiritu & limo ſeu carne coniugatis. Admiror, adoro, & laudo Te in hac factura & compoſitione mei. Reddo honorem de dignitate ſpirirus mei, & de fragilitate corruptioneque carnis meæ, de morte, & immortalitate mea. *Anima & corpus*

Siſto Potentias animæ meæ,

Intel-

Intellectus Intellectum, voluntatem & memoriam. Intellectum subiugo captiuum pedibus Tuis: agnoscentem & adorantem Te Primam veritatem, primum Principium, primum & vltimum bonum meum. Dominum Te agnoscit, Iudicem, & vindicem & remuneratorem. Assentitur omnibus reuelationibus ad fidem inspirationibus & vocationibus Tuis. Alligo illum cogitando Tibi, honorando, amori, & gloriæ Tuæ, reijcio autem ab illo cogitationes vanas, otiosas, & quæ ad Te non terminantur.

Voluntas Voluntatem meam libertate arbitrij donatam, & quâ honorem creaturæ rationalis habet, præsento captiuam, imò ex-

illam

illam omni libertate peccandi, & induo omni Te amandi & audandi licentia. Omnibus eius volitionibus Te vnicum apprehendo & amplector, motus quoq; eius & appetentias in Te summo bono compono, & totus conquiesco. Nolitionibus autem omnibus resisto ijs, quæ contra Te sunt, aut aliò me, præter Te, auertunt. Substerno illam pronissimam voluntati Tuæ, legique, ac omni beneplacito, tanquam Ideæ mearum volitionum & placitornm. Quidquid in ea est appetentiæ ex motu etiam concupiscibili & irascibili in Te vnum conuerto; ad Te tota cōcupiscibilitate feror,

& tota irascibilitate pro Te, h
noreq; Tuo commoueor.
possim Tibi DEVS meus co
placentias omnes exhibere, qu
in se exhibuit dulcissimus Fi
lius Tuus, in quo tantopere Ti
bi complacuit!

Appetitum rationalẽ, prima
rium voluntatis meæ motum
Amor Amorem, adduco coram T
Domine, omnesque eius vires
gustus, actiuitates in Te vnum
conuerto; omnem capacitatem
seu vastitatem appetitiuam eiu
aperio, & Te vnum complecto
Te solo exsatio, quem amo,
mo, amo ex toto corde, ex t
ta anima, mente, viribusque
mnibus. Si quid autem ali
me vis amare, vti iubes pro

mum

mum, propter Te solum, & in Te solo amo, aut potiùs Te in illa amo creatura. Complector Te omni amore beneuolentiæ, sicut Tu Te amas, quia dignus es; quia es qui es. Exspolio me omni bono meo, vt illud omne in Te conuertam, omnia patiar, ut in integro sit amor Tui, & honor Tuus; & omnia Tua.

Complector Te omni amore concupiscentiæ, & gratitudinis, quia & mihi bonus es, & bonum meum infinitum. Complector omni amore appretiationis, quia Tu vnus solus, & maximus es in Te, & in omnibus operibus Tuis, summus finis omniū, & bonitas & omnis perfectio substantialis.

Complector Te omni amore affectuoso, omnes motus affectuum ad Te & in Te conuerto omnes complacentias meas & desideria in Te demergo.

Complector quoq; omni amore actuoso, & desidero in quærendis bonis gloriæ Tuæ, & obsequij labore consumi, destrui & disperire. Tu adiuua infirmitatem meam.

Memoria. Adduco etiam cum Intellectu, & voluntate memoriam meam. Eijcio ex hoc conditorio omnia vana & otiosa, & quæ Tua non sunt, aut non ad honorem Tuum, sed præsentiam Tuam perpetuam deferre & cōseruare volo.

Simul etiam affero rationalis

partis dona, libertatem arbitrij, famam bonam, honorem, ſtatus mei. Dono Tibi libertatem meam, ne á Te recedam aliquando voluntariè, ſim vt iumentum apud Te, coge, ſubiuga, me honori Tuo, ſim vt aſellus ille triumphantem JESVM deportans. Si qua autem puncta honoris & famæ in vita collegi, reſigno in manus Tuas, paratus per infamiam & famam obſequi laudi Tuæ.

Poſt hæc adduco ad pedes Tuos inferioris partis domeſticos meos, progeniem terrenam, genus propinquum animalibus, Carnem meam cum ſenſibus, *Caro* quam ſpiritui meo dediſti ſociam. Accuſo eius inobedienti-

am, tarditatem & recalcitrationem, vt jumenti terrena sapiẽtis, contra rationis & mandatorum Tuorum imperia; substerno illam honori Tuo, eiusq; passibilitatem, morbos, afflictiones, casus, pericula, infirmitates etiam morales, quæ omnia accepto, vt hoc iumentum percutiam & mactem in victimam gloriæ Tuæ.

Passiones. Præsento simul sensitiuæ partis motus, id est appetitus sensitiuos, concupiscibiles & irascibiles, famulos, sed sæpe rebelles & seditiosos; quos imperio rationis, & lege mandatorum, compono & constringo. Amorem in Te solum dirigo. Odium in hostes Tuos. Gaudium

de

de Te, deq; Tuis bonis, Triſtitiam de offenſa Tua. Deſideriũ Tecum ſemper eſſe, Fugam ab omnibus quæ contra Te, Tuumq; placitum ſunt, ordino.

Spem & fiduciam in Te depono, in gratia & bonitate Tua. Deſperationem in meis viribus, & infirmitatibus. Timorem ne deſerar à Te, aut ego deſerã Te

Audaciam ſub manu & ſcapulis Tuis, contra terrena pericula & aduerſitates.

Iram contra hoſtes Tuos & peccata mea.

Phantaſiam & ſenſus Internos accuſo Domine, quod alienas animæ ſæpe obtrudunt rerum ideas, imagines otioſas, curioſas, vitiorum incentiuas, volo autẽ *Phãtaſia & ſẽſus Interui*

vt ſemper mihi Te præſentem referant, & in conceptu mentis conſeruent.

Adduco ad pedes Tuos Domine & ſenſus externos, difficiles ad regimen rationis, animæ ſeductores, famulos violentos & rebelles. Tu Domine frenum illis inijce, vt ſint captiui honoris Tui.

Facultates corporis

Deniq; adduco facultates corporis mei, locutiuam, locomotiuam, vegetatiuam, & ſomniatiuam, quibus vti volo ad gloriam Tuam, & quarum actus deſidero eleuare in æmulationẽ Angelicorum obſequiorum, Tibi aſſiſtentium & miniſtrantiũ. Præterea tam uſu harum facultatum, quam priuatione earum

lau-

laudare volo & ſeruire Tibi, inter claudos, mutos, cæcos, morbidos, ſurdos, quos per vicos inuitare juſſiſti ad Magnum Tuum conuiuium.

Produco etiam in conſpectũ Tuum Domine mancipia domus meæ, & proditores animæ ſalutis, quos mihi peccatum intruſit, & in rebellionem commouit; animalitatem, beſtialẽ petulantiam, concupiſcentiam carnis, oculorum, honoris & deliciarum, paratos domeſticos in exitium animæ, velut, latrones intimos.

Animalitas. Concupiſcentiæ.

Produco fomitem peccati, inclinationes in ſeptem vitia capitalia, fragilitatem & pondus naturæ corruptæ in malũ me pro-

Fomes peccati. Fragilitates.

tru-

trudentis. Produco & si quid
Peccata. peccatorum occultorum latet,
Da mihi virtutem contra hostes
meos. Circumdederunt me mala
quorum non est numerus, atq;
mecum porto hostem & insidias
saluti meæ. Sed scio quid faciam,
occido has malas bestias
in sacrificium Tibi Domine, captiuo
& vinco omnes motus istos
in honorem & obsequium
Tuum. Tu Domine dirumpe
vincula mea, quæ mihi de meipso
hostis parauit, & sacrificabo
Tibi hostiam laudis.

Deniq; ipsum spiritum meũ,
quem immortalem esse voluisti
Spiritus vitæ Tuiq; amandi & laudandi capacem,
effundo coram Te, sed illum
egenum, nudum, pauperẽ
& de-

& desolatum. Da ei Domine, dona S. Spiritus, dona Intellectus, sapientiæ & scientiæ; Spiritum Consilij ad rectum vsum partis rationalis, Spiritum Pietatis, Timoris, & Fortitudinis, ad gubernandam sensitiuã partem, ad victoriam passionum, ad comprimendos motus sensualitatis bestialitatisq; ad sopiendum fomitem peccati, ignes scintillasq; tentationum, & sustinendam debilitatem fragilitatum. Quidquid sum & habeo, Tu mihi largitus es: totum Tibi restituo ac Tuæ prorsus voluntati trado gubernandum.

Potest eadem praxis formari in modum Cantici trium puerorum, Danielis 3. advocando singula ad laudem & benedictionẽ Deo reddendam, incipiendo verbis Ps: 102.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini Sancto eius. Benedicite omnes potentiæ animæ meæ Domino, &c. &c.

JDEA VIII.
Ex affectibus pijs.

VIta ſine affectibus velut ſemimortua eſt; Magis verò ſtrenui viri affectibus accenduntur ad præclare agenda. Sic & oratio ſine affectibus debitis, eſt velut morticini oblatio, donum quaſi de terra deſerta & inaquoſa. Studium Perfectionis ſine affectibus non eſt, immò Perfectio non tam eſt in cognitione, quam in affectione principaliter.

Affectus autem eſt, motus appetentis partis animæ rationalis quo aliquid proſequimur, vel fugimus. In vtraque parte ijdem planè ſunt vndecim, eo diſcrimine tamen, quod in voluntate motum accipiant ex intellectus actione, in appetitu verò ſenſitiuo, ex imaginatione aut ſenſu aliquo.

Affectus appetituum ſæpe diſcordes ſunt in Spiritualibus actibus; nam amor rationalis tendens in bonum animæ aſſumit ieiunium pœnitentiale, amor verò ſenſitivus

refugit tanquam malum ſenſus; vbi locum habet illud Apoſtoli. Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago. vnde homo, hoc quod proſequitur appetentiâ rationali, reijcit ſenſuali repugnantia,

Sunt tamē alij præter hos affectus, qui à ſolo intellectu luce aliqua perfuſo proueniunt, vti eſt admiratio: ſunt etiam miſti nonnulli & virtutum proprij.

I. Motus appetituum duplices ſunt Concupiſcibiles & Iraſcibiles, atq; in Devm per ſuas rationes diuerſimode eleuantur,

Concupiſcibilium affectuum.

1, Amor eſt primus, qui alius amor beneuolentiæ, alius concupiſcentiæ, alius appretiationis, vti in ſuperiori Idea explicatur, & quomodo in Devm tendat. Huic ſubnectitur amor proximi propter Devm.

2. Odium contra hoſtes Dei, & offenſam eius.

3. Deſiderium Dei tanquam boni adhuc abſen-

absentis, in gloria & beatitudine.

4. Fuga ab eo, quod aut aduersatur Deo, aut abducit, aut non refertur ad illum.

5, Gaudium seu delectatio in DEO terminatur tanquam in vltimo fine, & in laude eius, bonisq; alijs & in ipsis Perfectionibus.

6, Tristitia sit sicut desiderantis & carentis bono suo, quod vnicè amat: deque eiusdem damnis.

II. Irascibilium affectuum circa difficultatem acquirendi boni.

1 Spes concepta ex bonitate Dei & misericordia de eodem possidendo, eiusque gratijs,

2 Desperatio de suis viribus iustitijsq;, de prona in malum inclinatione, in ordine ad DEUM beatifice possidendum.

3. Timor de amittendo bono Deo, eiusq; felicitate, respectu suarum virium; nec non timor peccati vel minimi, ne offendatur Deus, quem amat.

4. Audacia erigit ad Diuina per assurrectionem & eleuationem sui ad acta heroica, difficilia in executione.

5. Ira

5. Ira insurgat aduersus ea, quæ Deum sibi auferunt, aut impediunt, aut alia obtrudunt loco Dei; vel contra diminutiones laudis Dei, & similia.

Pudor subiungi solet, in conspectu Dei de peccatis, de vilitatibus suis, animalitatibus, defectibus &c.

III. Ab Intellectu originem suam capiunt Affectus hi.

1. Admiratio in Dei operibus, Perfectionibusq; recogitandis.
2. Adoratio, procidendo in abijssum nihili, peccatorum, vilitatum, fragilitatumq;.
3. Æstimatio Dei summi, optimi, & qui est omnia.
4. Vilificatio sui & creaturarum respectu Dei, proportionem inter infinitum illũ, & creaturam finitam non inueniendo.
5. Laudis affectus, est magnificatio, exaltatio, benedictio, seu mente, seu voce, seu opere, præcipue commouetur ex recognitione potentiæ Dei in creatione, Prouidentiæ in gubernatione, misericordiæ in redemptione, liberalitatis in munerũ largitione, & Iustitiæ in punitione.

Huius effectus est, 1. Dicere nomina Dei maxima, & superlatiua & Indicibilia, 2.

Omnes

Omnes creaturas earumq; actiones & passiones excitare in laudem; *Benedicite, laudate & superexaltate.* 3. excitare omnia, quæ intra hominem sunt, quod est in superiore Idea, 4 Imitari velle & immiscere se Angelis Dei, & Beatorum ordinibus.

6 Gratiarum-actionis affectus iungitur gratitudini materiam accipere solet, Dona Naturæ, Grátiæ & Gloriæ, Dona Spiritus S. effusa; Incarnationem Filij Dei, redemptionem, Euchariſtiam; ſacrificiũ, & innumera beneficia Dei.

IV. Virtutes quoq; Christianæ sunt fontes affectuũ,

In quos actus illarum conuertuntur, cũ ſine præſenti occaſione exteriore, interius tantùm eliciuntur. Mixtos affectus dicunt aliqui eſſe, qui ex virtutum motiuis, & ex appetitu rationali proficiſcuntur. Magis frequentium virtutum affectus ſubiungo.

1 Affectus humilitatis in oculis Dei, & præſentia Christi fit intuitu vilitatum ſuarum.

2 Religionis exhibentis cultum profundissimum cum timore, & adorationibus, & sacrificio laudis.

3 Zeli honoris Dei ab omnibus hominibus & creaturis reddendi.

4. Exspoliatio sui coram Deo, amore proprio, desiderijs, terrenisq; bonis omnibus.

5. Contemptus sui, temporalium, & quæ mundus amat, & omnium quæ Deus non sunt.

6 Desiderium Deo se vniendi perfectissime, & illo fruendi.

7 Zelus animarum Deo adducendarum, saluandarum, cœlo inferendarum, quo plures laudatores Dei colligantur ex populis terræ,

8 Patientiæ pro gloria Dei, qualis affectus illius fuit Virginis Sanctæ; aut pati, aut mori: exclamantis.

9 Desiderium imitandi Christum & Sanctos.

10 Affectus in proximos, beneuolentiæ, beneficentiæ, misericordiæ, compassionis, & iustitiæ,

V. Potest & recogitatio Perfectionũ Dei suggerere affectus

plurimos, quæ recenſentur Idea ſequenti.

Ad ſapientiam Dei, ſubmiſſio decretis eius, Judiciorum Dei admiratio, & timor ſubnaſci poteſt.

Ad Dominium Dei, ſubiectio ſui rerumq; ſuarum velut Domino, qui poſſit pro placito deſtruere & annihilare, ſine repugnantia ad caſus, euentuſue non ſperatos, & aduerſa.

Ad prouidentiam, fiducia concipitur, diffidentia ſuis viribus & conſilijs projectioque ſui in manus illius.

Ad Beneficentiam Dei, affectus liberalitatis in DEVM velut mutuæ; donationis rerum ſuarum & oblationis in holocauſtum.

VI. Deniq; triplex via Perfectionis dabit materiam affectuum percurrendo eius actus & officia diſparata, de quibus agit Idea ſupra poſita.

Uſus iſtius Ideæ ſeruiet ad eleuandum & quaſi recipiendum ſpiritum in Deum poſt diſtractiones; ad occupandam mentem ſub

ſub temporibus liberis ab alio exercitio; ad meditationem eleuandam & complendam piis affectibus. Tum & in vocalibus orationibus ac præſertim in Pſalmodia.

Praxis vndecunq; incipiat pro ductu occaſionis & deuotionis: hic incipit ab iis, quæ ab Intellectu emanant, affectibus.

QVid mihi eſt in cælo, aut quid velim ſuper terram, & quæram? quid eſt, quod amē in vita, deſideremq;? Tu ſolus es, qui es, ô Omnipotens, omnimode, omnibus præſens & omnia implens Domine. In Tuo conſpectu ſto, & effundo animam meam, omnem ſpiritum

&

& ſpirationem, omnia quæ intra me ſunt, eaq; in affectus erga Te conuertere deſidero.

Admiratio O admirabilis Eſſentia, ô incomprehẽſibilis Diuinitas, Trinitas, vnitas ineffabilis. O adoranda & tremenda Majeſtas, cuius gloria & luce opprimor, & oppreſſus timeo. O totum pretioſiſſimum, quidquid in omnibus poſſibilibus & cogitabilib9 eſſe poteſt, & amplius his! O Tu omnia, extra quem non eſt vbi ſiſtam, & quid uelim!

Vilificatio ſui Quid autem ego ipſe apud Te, & quid creatura? quid finitum ad infinitum? quid vermis ad Maieſtatem? Procido in abijſſum imperceptibilis diſtantiæ à Te & dignitate Tua, ego tan-

quam

quam puluis, quã proijcit ventus à facie terræ?

O quid non debeo Tibi laudis, quid benedictionis, glorificationis, superexaltationis? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. *Laus*

Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius? Maria sunt sine fundo beneficia Tua, nec tamen omnes arenæ & guttæ adæquabunt effusas liberalitates Tuas in Ecclesiam, in Patriam, in Societatem meã, in bonos malosq;. Aduoco totam vniuersitatem creaturarum ad Te benedicendum & gratiarum-actiones amplificandas. *Gratiarũ actio*

Colligo totum spiritum vi-

resq;

resque animæ, meum cor, & appetitum omnem, & Te complector omnibus his meis motibus. Complector Te solum toto affectu amoris beneuolentiæ & appretiationis, quia Tu dignissimus solus, solus optimus, solus principium primum. sed etiam quia & mihi bonus es, toto affectu concupiscentiæ in Te ferror, in bonum meum infinitum & vnicum.

Amor

In Te omnia desideria mea, delectationem, solatia mea, & spem omnem compono; nec alibi Domine conquiesco, nisi in hoc nidulo meo, in complexu Tui, in quo omnes appetitus meos depono. Itemq; in laude Tua, in honore Nominis Tui, in

Desiderium Gaudium Spes

in lucris Tuis animarum, in omnibus bonis tanquam Sponſi amantis animam meam, quem pono in principio lætitiæ meæ.

Sed etiam è contra omnes appetituum auerſiones, fugas, odia, triſtitias, timores iraſque conuerto contra hoſtes Tuos, contra peccata mea, contra mundum eiuſq; fallacias; contra naturæ meæ corruptæ impulſus, & pondera ad ruinam, & damna gloriæ Tuæ. *Odiũ timor triſtitia, Ira*

Quia de nihilo meo egreſſus per creationem, in limo meo hæſi, quo me magis peccatum obruit, vires Domine non habeo, quibus fidam, & ſum ſicut folium quod vento rapitur, de meo poſſe deſpero: ſed à Tua *Deſperatio*

beni

benignitate robur expecto; in Te solo audeo attolloq; animũ, pro gloria Tua, me vincendi, motus & infirmitates superandi. In Te Domine audebo, & laxabo rete in omne opus bonum.

Fiducia

Ut me humilem Domine, nõ procul à nihilo meo profundè me depono. Non inuenio, quod me cæteris præponat, multum verò, quod subijciat; vilitates meæ multiformes, peccata mea, quæ Tibi Domine magis dolent & acriori dolore pungunt sensum Tuum, quam latronũ peccata & infidelium. Fugerem cũ Caino à facie Tua, nisi me Clementia & Misericordia Tua sustineat, & adumbrent mihi majestatem Iustitiæ Tuæ, merita

Humilitas

verò Christi mei Cruce eius me protegant.

Jn eodem profundo humilitatis meæ, ampliùs & ampliùs me abijcio in omnē abijssum nihili mei, & peccatorum meorū, vbi toto Religionis affectu Te adoro, venerorq; cultu Latriæ maximo. Omnium item Creaturarum adorationes assumo, cælestium, terrestrium & infernorum, in quarum conspectu cum Ecclesia Sancta reddo omnes oblationes, vota, gratiarum-actiones supplicationes, meq; ipsum offero in holocaustum honoris Tui. *Religio.*

Tu scis Domine quia amo Te, sed nolo hunc amorem meum otiosum esse, & solo affectu con- *Zelus honoris Dei.*

tineri, at effundo illum in omnem mundum, quem cupio conuerti totum in gloriam Tuam, amoremq; Tui. O quam desidero, vt Te omnes etiam hæretici, Infideles, Turcæ & pagani ament & glorificent, vt quã plurimos Tibi adducam laudatores, amatores, seruitoresque obsequentissimos.

Contemptus terrenorum

Gaudeo si mundus me odio habet. Sed & ego contemno omnia eius pulcherrima, dulcissima quæ sunt de vinea Sodomorum, & de Suburbanis Gomorrhæ: sub quibus latet vermis & ignis inextinguibilis, fel draconum & venenum aspidum insanabile. Sed ô sequar Dominum meum JESVM nudum, co-

ram

ram quo me exſpolio non actu tantùm, ſed etiam ſpe & poteſtate habendi. Omnia abijcio, ut inter me & Te Domine nihil intermedium mihi affectu adhærens inueniatur.

Imitatio Christi

Quis mihi det per omnes paſſiones, deſtructiones, & exinanitiones conteri & reſolui in guſtus ſanctiſſimarum Perfectionum Tuarum Domine Perfectiſſime! in guſtus ſapiētiæ, Dominij, Prouidentiæ, Iuſtitiæ, Miſericordiæ & Sanctitatis Tuæ, quibus me in holocauſtum abijcio, vt in me, ex me, & à me, omni ratione guſtus earum adimpleantur & complacentiam accipiant, prout creaturas reſpiciunt, & in illis exercentur. O

expleam omnibus amoris mei gustibus Tuas Domine amabilitates, Pulchritudines, Dulcedines, quas creaturæ quomodolibet explere possunt. O expleam omnes liberalitates, thesauros Bonitatis Tuæ affectibus meis. O resoluar in Te principium primum, & vltimum fi nem meum. Ita viuam, ita mo riar, ita in æternitatem trāspor ter!

JDEA IX.

Ex vijs Amoris Dei.

VIrtutes Christianæ ita Perfectionem ingrediuntur, vt absq; illis non inue niatur. Sola tamen Charitas est plenissim & perfectissima Iustitia ex August: Ista vi culum Perfectionis & coronamentum. Id oque istius virtutis aliarū Rectricis viæ su peruestigandæ & decurrendæ frequenti præsertim ab ijs, qui student & qui debe studere Perfectioni. Chr-

Charitas hæc tendere debet in obiecta ista: in Devm Trinum & vnum, in Verbũ Incarnatum, in Beatissimam quoq; Matrẽ Dei, amore, qui hyperdulico est conueniens cultui; sicut amor Sanctorum Duliæ cultui, correspondeat.

Jn prima via ponitur diuisio Charitatis, in alijs, modi & actus ejusdem.

Prima via Amoris Dei sit, ex ipsis eius differentijs alius enim, est Beneuolentiæ amor, alius Concupiscentiæ, & alius appretiationis, nempe quatenus Devs amatur in se bonus sibique, & omnia in bonum illius creatura vult conuertere: quatenus & bonus est Creaturæ; & quatenus dignissimus est, in perfectionibus suis summus, quo amore eleuat creatura Devm super omnia, quorum iacturam malit, quam Dei. *Via differentiarum Amoris*

Secunda via est, via 3plex Perfectionis, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum; cum exercentur actus istarum viarũ coniuncti cum amore Dei, secundum rationes proprias earundem, vti est, amare cum omnibus peccatoribus pœnitentibus, cum conuersis ad vitam meliorem, & accedentibus ad seruitium Dei; amare per victorias peccatorum, inclinationum, tentationumq; ; per resistentias habitibus prauis, *Via Amoris per gradus Perfectionis*

per mortificationes sensualitatum & amoris proprij, Amare cum Proficientibus per ra.iones omnium virtutum, per omnes gradus humilitatis, obedientiæ, patientiæ, abnegationis, & aliarum; quos gradus mente percurrere potest amans, illos mente specificando. Amare cum Perfectis per omnes rationes & modos vniendi se DEO, vsq; eo, vt exclusis omnibus intermedijs, quæ per affectum alienum irrepere possũt inter DEUM & hominem, fiat vnio perfecta.

Via Amoris ex Euangelio. Tertia via Amoris Dei, est via Euangelij, quod ducit nos ad diligendum DEUM, *Matth:* 22. in tota anima, ex toto corde, mente, ex omnibus viribus, *Luc:* 10. ex tota virtute, *Mar:* 12. additur *Deut:* 6. ex tota fortitudine; quibus omnibus ostenditur, quod quidquid est, in homine conuerti debeat in amorem Dei, aut saltem ex omnibus elici amor Dei, beneuolus, appretiatiuus, & respectiuus sui boni, sunt autem hæc. Anima eiusq; potentiæ, appetitus sensitiuus cum suis passionibus, sensus & facultates de quibus in Idea VII. actum. *S. Aug:* refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, mentem ad intellectũ, D. Th: 22, q. 44. ar: 5. Ex toto corde, vt in-

tentio feratur tota in DEVM: Ex mente, vt intellectus subdatur DEO; ex tota anima, vt appetitus noster reguletur secundum DEUM.

Quarta via est Extensionis per varia exempla & rationes diligendi. *Via Extensionis*

1. Extensio per exempla & imitationem Sanctorum in cælo; Angelorũ per suos choros hierarchicè distributorum; Angelorũ, Archangelorum, Principatuũ, Potestatum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubinorum, & Seraphinorum: quorum diuersæ rationes amandi DEVM sunt, iuxta repræsentationem in se diuersarum Dei Perfectionum.

Deinde SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Anachoretarum, Virginum, Viduarum, Coniugatarum.

Tum deinde hominum in terris viuentium, & quacunque ratione DEUM amantium.

2. Altera Extensio amoris per rationes ob quas DEVS amandus est.

Qnia dignissimus omni amore & totus amabilis.

Quia seipsum etiam ille amat perfectissime.

Quia & nos amat minus amore dignos,

Quia nobis etiam cum hostes eius peccatores sumus, benefacit, solemque super bonos & malos oriri iubet,

Quia peccatores recipit, vt clementissimus Pater filios prodigos,

Quia cælum totum plenum est amore eius & terra illi respondeat, & inferi. Plures rationes occurrent cogitanti,

3. Tertia Extensio per assumptionem ab omnibus creaturis inclinationum, amorum, appetitionum, tendentiarum ad aliquid, vti lapidis ad ruendum ex alto, ignis ad vrendum.

4. Extensio amoris per oppositionem ad actus iniquorum hominum in terris, & damnatorum Inferni, substituendo pro illis suos actus amoris, & veluti obruendo odia & blasphemas voces illorum. Suppleantur quoq; Mundi defectus, ex erroribus circa DEVM, eiusq; honorem, ex iniustitijs & iniquitatibus omnibus, extendendo amorem suum in tot actus, quot mundi sunt defectus eiusmodi.

Via Intē-sionis Quinta via est amoris, via Intensionis, Ea quæ magis ac magis augeri aut eleuari possunt, intendi per gradus suos dicuntur.

Amor

Amor in Deum magis & minus suscipere potest, proinde & intensionem. His autẽ etiam gradibus eleuari potest.
1mo. Per modos & gradus seruorum Dei in vita diligentium illum ordinarijs actibus,
2, Per modos Perfectissimorum in vita degentium,
3. Per modos & gradus Beatorum in cælo,
4. Sicut Beatissima Mater amauit, amatq; Deum.
5. Sicut Christus ipse amat, & voluit amari Patrem.
6. Sicut Deus ipse amat se, & sicut amari dignus est.
Nonnullis placet Intensionem maiorem & maiorem actuum suorum eleuare per progressiones in numeris, majoribus & majoribus. Arithmetica progressio breuior est, qualis per numeros 1, 2,3, 4, aut 3, 6, 9, &c. Geometrica amplior est, vti per numeros 2, 4, 8, 16, 32, &c. Ita potest intellectus ducere voluntatem per tales progressiones, & conetur amoris sui actus intendere magis ac magis, simili proportione, & veluti passu ampliore saltem, per desiderium id exercendo.
Sexta via Amoris est, vnionis cum Deo. *Via Amoris*
Prima

per Vnionem Prima vnio creaturæ cum Deo eſt per Immenſitatem Dei, quâ vbiq; eſt, & in omni creatura, ex cuius parte eſt, ſimul vnio dependentiæ, eo quod dependeat ab illo in eſſe & exiſtere & operari, magis quam infans ab vberibus nutricis ſuæ. Iſtam vnionem habemus per exercitium Præſentiæ Diuinæ, quod Idea I, exponit.

Secunda vnio eſt, per Gratiam Dei, qua Filij Dei efficimur.

Vnio per Charitatem Tertia per Charitatem, ſimul etiam accedentibus Fide & Spe. Nam Fides præſentem DEVM oſtendit, Spes illi innititur, Charitas vnit.

Actus & gradus huius vnionis per charitatem ſunt.

1. Excludere ab homine omne illud quod aduerſatur Charitati, cuiuſmodi peccatum eſt. Et hoc Incipientium eſt.
2. Excludere impedimenta Charitatis eximiæ, quæ illam refrigerant, extenuant, eneruantq; amorem.
3. Omnium virtutum uſu tendere in DEVM vi & impulſu amoris Dei; ſeu virtutes exercere ex motiuo Amoris Dei. Quod Proficientium eſt.
4. Frequentiſſimo actu Amoris veluti perſeuerare in amore, & immanere chari-

tati

tati, quantum hic status vitæ ferre potest: Hinc procedunt illa, quæ in tertio statu Perfectionis supra posita sunt in Idea VI.

Quarta vnione est per voluntatum consensionem, gustuum & complacentiarum exhibitionem, in qua idem velle ac velut viuere conficitur, ex qua contra vitæ huius amarores ac labores remedia, ceu fauus méllis de ore leonis, capiantur. *Vnio per complacẽtias.*

Quintam vnionem explicant potissimũ Via Contemplatiui, per Transformationem hominis in DEVM, velut in suum principium, & primam ideam, ex qua profluximus: ita vt à nobis, & à nostro esse transeamus in Diuinum, intelligendo transitionem hanc fieri sensu & affectu; non autem ita, vt creatum esse nostrum desinat & extinguatur, quæ fuit hæresis aliquorum. Hic etiam ponitur Fruitio Dei, & liquefactio sui quædam, & demersio in abijssum Diuinitatis. *Via vnionis per Trãsformationem*

Hæc vnio vix explicari potest, minùs verò labore nostro procurari, sed eius beneficio, qui vbi vult spirat, confertur. Disponere se tamen potest homo, per actus Perfectionis sublimes, per victorias abne-

garionis & mortificationis, per virtutes eximias; Dei autem solius est eleuare nos eo, quò curæ nostræ non attingunt.

Terminus viarum Amoris Dei in terris, est Amor beatificus in visione beata: ad eum terminum currimus, nos & nostra extendimus, & quasi per ignita desideria inchoamus illam beatitudinem. O quando, ô quando dabitur exuli videre quem desidero & amare in æternum perfectissime!

Praxis Ideæ huius breuis hæc esse potest.

O quam cupio explere omnes amabilitates Tuas Deus meus, infinitum & incommutabile bonum: & actu ipso amo Te, amo Te, per omnes vias amoris Tui, omni amore concupiscentiæ, omni amore beneuolentiæ, omni amore appretiationis. Amo cum omnibus vi-

am Perfectionis incipienribus, per omnes victorias & violentias eorum, & per actus pœnitentiales: cum Proficientibus, per omnes rationes & gradus virtutum, quas exercent; per omnem humilitatem, abnegationem, obedientiamq;. Cum Perfectis amo per omnem vim roburq; voluntatis meæ quam subijcio, vnioq; voluntati Tuæ.

Amo Domine totâ latitudine ab Euangelio descripta, ex toto corde, mente, viribus, fortitudine & ex tota anima mea. id est, ex omnibus potentijs meis, appetitibus, sensitiuitatibus, facultatibusq; per omnes harū minutias, in omnibus gressibus, motibus corporis, verbis & respirationibus, Jn-

Infirmitates verò cõmunes & proprias mihi, dolores, aduersitates eodem amore Tui condio, inuestio, & per illas actus amoris elicio. Cor meũ carnale, officinam vitæ, primum & vltimum viuere meum, officinã amoris facio, ictus eius, pulsus & spirationes in actus illius cõuerto. Tu autem primum & vltimum viuere meum, Deus es, pro tota æternitate. Depono hoc cor meum juxta cor Domini mei JESV, à quo communico per desiderium affectus & motus amoris in Devm Patrem effusissimi, vt cum corde Iesu, ex toto corde meo, & ampliùs amem Te Devs omni amore mihi possibili.

Amo-

Amorem meum hunc extendo per omnia exempla amantium & per rationes eorum amãdi Te; Amo cum omnibus in vita amantibus præſertim perfectioribus, Per exempla Sanctorum Angelorum in cælo, Sãctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum. Per exempla Sãctarum Tuarum Virginum & Viduarum, perq; diuerſas omnes amandi rationes, quas in vita habuerunt. Extendo item amorem meum per omnia argumenta & rationes, ob quas amandus es; quia digniſſimus es omni amore, & totus amabilis; quia Tu Teipſum amas perfectiſſime; quia nos amas &

recipis in gratiam peccatores; & ex gratitudine, ad quandam reuerberationem amo & amo reciproce, terramq; totam amore implere desidero, sicut cælum illo plenissimum est.

Extendo quoq; affectum hũc per omnes omniũ creaturarũ motus ad aliquid, per inclinationes, tendentias quas assumo, ut omnium creaturarum vice, & nomine Te amem DEVM meũ. Deniq; extendo me ad oppositionem actibus iniquorum & damnatorum, vt amore meo, si non opprimam odia illorum, vocesq; impias, compensem certè defraudationes eorum, & auersiones à Te amando & laudando.

Amo

Amo Te mi Devs, & intensiuè semper ampliùs & ampliùs, per æmulationem ad intensionẽ virorum perfectorum in hac vita. Ad altitudinem amoris Beatorum in cælis;ad gradum amoris Beatissimæ Matris, ipsiusq; Domini JESV DEVM Patrem amantis ; insuper ad altitudinẽ Tui ipsius, sicut dignus es amari. Amo per totam profunditatem, latitudinẽ, longitudinemq; abijssalis amabilitatis Tuæ; per totam capacitatem dignitatis Tuæ. Amo per omnia decreta Tua circa Ecclesiam, Societatem, me ipsum, & circa mundum vniuersum. Amo deniq; per omnes imperceptibiles Perfectiones Tuas, . prout singulæ

amo-

amorem creaturæ merentur & exigunt, vt illis amore meo respondeam, expleamq; affectu illarum exigentias.

Sed Domine quomodo in veritate amem Te, si non vsque ad veram vnionem Tecum, quæ amantes vnum faciat? & ego sim tecum vnum, prout in hoc mortali carcere, esse possũ. Ita amo Te Domine, vt excludam è medio nostri, non tantùm ea quæ Tuæ aduersa sunt charitati, qualia peccata sunt, sed etiam quæ impediunt, aut eneruare possunt amorem meum & tepidum facere: vt assumam quoq; ea quæ magis me admoueãt Tibi, virtutes Christianas, humilitatem, patientiã,

atque alias magis mihi necessarias,

Jta amo Te, vt desiderem tota voluntate mea, eiusq; appetitibus complacentias Tibi perfectissimas & gustuosissimas reddere, & sanctissimæ voluntati Tuæ beneplacenti, non solũ per resignationem, & conformitatẽ voluntatis meæ, sed etiã assumptionem Tuæ: vt Tua voluntate velim beneplacita Tua, abiectâ meâ voluntate & arbitrio. Complaceam Tibi Domine in omnibus, bonis ac malis, aduersis & prosperis. Solum beneplacitum Tuum sit, quo viuam, & quod in spiritum meũ, spirationemq; vitæ meæ conuertatur.

Dignaris Domine seruos Tuos dilectos in tam arctam vnionem Tecum admittere, quanta est Transformationis, Fruitionis, Liquefactionis, & demersionis in abijssũ Diuinitatis Tuæ. Desiderare id ego possum, habere, Tui est arbitrij & dignationis. Mihi satis est amare Te sine pondere & mensura, sine comparatione, sine modo, sine fine, amare & consumi amore Tui & disperire. O quando, ô quando sine velo, sine ænigmatè videam Te, & intuitiuè amem Te;

O amare, ô ire, ô sibi perire, ô ad DEVM peruenire!

August:

JDEA X.

Ex magno libro cognitionis Dei, seu Perfectionum ejus.

DEvs quidem indiuisibilis est, & vnum-quid perfectissime, sed capacitas intellectus nostri mortalitate succincti, ita illũ cognoscere non potest, sed per distinctos conceptus, & diuisim singulas rationes in illo cognoscibiles separando. Perfectiones ergo illius veluti distinctas à se numerare solemus, & hic pro deuotionis affectibus recensemus magis notas, & à nobis cognoscibiles.

Primò Perfectiones veluti vniuersales, quæ de alijs perfectionibus prædicantur, quatuor sunt,

Jmmensitas
Jnfinitudo
Æternitas
Jncommutabilitas,

Ex quibus profluunt Jncomprehensibilitas, Jneffabilitas, Jnuisibilitas,

DECAS Perfectionum Dei in illo ipso considerataram sine respectu ad Creaturas.

Jpsum esse, & Qui est.
Diuinitas

Vnitas & Trinitas.
Sapientia
Sanctitas
Veritas
Bonitas
Dignitas
Beatitudo
Justitia in lege æterna.

DECAS Perfectionum Dei, quæ creatum respiciunt.

Principium primum
Omnipotentia
Justitia
Misericordia
Prouidentia
Benignitas
Clemeutia
Amor
Dominium.
Finis vltimus.

DECAS aliarum Perfectionum Dei, quæ in creatura rationali motum affectuum variorum pariter excitant.

Majestas
Amabilitas
Pulchritudo
Diuitiæ Bonitatis
Liberalitas

pote-

Poteſtas judiciaria
Refugium.
Spes noſtra
Vita & ſalus
Fortitudo noſtra.

I. Perfectiones vniuerſales.

1. Jmmenſitas præſentem vbiq; Devm & in omni atomo rei cuiuſq; ponit, Tantus ille eſt, vt tu reſpectu illius non ſis tãtùm, quantùm gutta minima roris antelucani, reſpectu Oceani. Adora frequentiſſimè & quaſi continuè præſentiam eius in Te, vna cum omnibus perfectionibus ſuis, & diuitiis; in Te generat Filium Pater, in Te procedit S. Spiritus à Patre & Filio, nullibi enim Deus eſt, vbi non ſint iſtæ perſonæ.

Cade profundiſſimâ inclinatione uſq; ad punctum Tui pro veneratione tanti myſterij. O quam magnus es Domine, & magnitudinis Tuæ non eſt finis! Quis latebit Te, aut effugiet manus Tuas? in Te viuimus, mouemur, & ſumus.

2. Infinitudo nullum terminum habet in Perfectionibus suis. In Omnipotentia infinita genera & species rerũ, infiniti mundi, Angelorum species, varietas rerum pretiosarum; delectabilium & horribilium reperiuntur.

Mirare & adora in minuto tuo indiuiduo incomprehensibilem amplitudinem Dei.

3. In Æternitate & Incommutabilitate considerandum, quod à nullo dependeat in conseruatione sui, aut directione, sed in se & à se solo totus est; non sicut Angelus & anima humana, immortales sunt equidem, sed tamen etiam mutabiles vel per solam negationem conseruationis Diuinæ & influxus. Quidquid in se habet, æternum & incommutabile est, eiusq; sancita & consilia. Age gratias pro tuæ animæ immortalitate, velut decisa à Diuina; mortalitatem autem ita tracta, vt corruptibile hoc induat incorruptionem. Ideo omnia mundi pretiosissima contemnenda, quia non immortalia nec incommutabilia.

Decas Ima Perfectionum,

Decurrẽda cum intimis adorationibus subiecto

iecto versiculo (si placuerit) Gloria Patri &c. & aliquo motu affectus.

1. Ipsvm Esse, & Qvi Est. Ens & Esse, quod semper est, fuit, & erit, & impossibile est, non esse illud. In quo omne esse, & à quo est: centrum Vniuersi. Immensè est immutabiliter in se, ex se, & apud se. Essentia simul & existentia.

Quid quod meum esse ab illo dependens, in existentiam deductum est, cum infiniti alij eam non sint habituri? Nonne vt ego laudarem, seruirem, amaremque, hunc qui solus est, propriè; etiamq; pro alijs non existentibus, eorumq; loco?

2. Divinitas. Devs Spiritus est, isq; summus, & perfectionũ abijssus, (*Bern: l. c. 11, de consid:*) voluntas omnipotens, benignissima virtus, lumen æternum, incõmutabilis ratio, summa beatitudo; creans mentem ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad pro-

mereri

merendum. Et sic per affirmationes describitur; per negationes verò, qui modus melior dicitur, negantur de DEO, quæ humana ratio profert, vt maiora dicantur. DEus est Incomprehensibilis Bonitas in sua essentia, Inscrutabilis profunditas in sua sapientia, inaccessibilis altitudo in majestate.

Tu DEVS super omnes Deos. Iste DEVS meus & exaltabo eum. Hinc Te solum credo, adoro, amo, timeo, & in Te omnia refero mea.

3. UNITAS & TRINITAS. DEVS meus superadmirabilis, Vnus DEus nec solitarius; Trinus nec plures vno. Pater ingenitus, a quo omnia; Filius vnigenitus, verbum & imago Patris, per quem omnia; Spiritus Sanctus, amor Patris & Filij in quo omnia. Unus ideoq; summus; summum bonum creaturarum, vt nihil maius illo, aut superiùs cogitari possit. Vni illi debet creatura, quidquid est, potest, vivit, aut moritur, stat aut cadit; illi Domino vni tributum debetur gloriæ, obsequij amoris, & reuerentiæ

Trinus in hac vnitate naturæ, procedit intra se ad pluralitatem Personarum; quod etiam patet in creaturarum beneficijs; nã Pater Creator, Filius Redemptor, Spiritus Sanctificator est.

Quanti anima mea te æstimas, cui imago hæc Trinitatis & vnitatis imposita est! quippe ad imaginem suam Devs te formauit, & amauit suũ exemplar.

4, Sapientia per se subsistens, in qua omnis plenitudo sapientiæ & scientiæ, Cuius obiectum, omnia. Ipsa per prius comprehendit essentiam suam, personas diuinas earumq; processiones, tum possibilia per totam æternitatem; quidquid etiam creata vis & creabilis proferre possit: tum & conditionate futura plane infinita, & variatione conditionum innumera. Inter absolute futura me quoque reposuit, pro hac differentia temporum, & pro hac rerum serie.

O altitudo diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quam

incomprehensibilia sunt judicia eius, & inuestigabiles viæ eius. In me ipso ô quam admirabilis!

5. SANCTITAS, Per amorem sui Deus Sanctus est, quod amet se perfectissime, & perfectissimum se, dignissimumque omni amore possibili. Inde quoq; eius Sanctitas est mensura sanctitatis creaturarum, dum conformant se modo amandi DEVM, quo ipse amat seipsum; & est sanctitas ipsa tam formalis, quam obiectiua.

Adoro Te Dominum Sanctum & Sanctissimum; Tibique cum omnibus Angelorũ Choris, & per omnes rationes differentes eorum occino semper, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.

Da per altissimam Sanctitatem Tuam, vt in sanctitate & Iustitia coram Te appaream semper.

per. Eleua cor meum amore Tui, ad sublimem Sanctitatem.

6. Veritas. Devs prima veritas est, tam in essendo, à qua omnis res accipit veritatem sui esse, cum illud conforme est ideæ & conceptui Diuino, secundum quem & per quem facta est: quam in cognoscendo, quod sit sui-ipsius & rerum omnium lucidissima & eminentissima cognitio. Est & prima veritas ac veracitas in dicendo: ac proinde summa regula credendi, quia ipse dixit Ecclesiæ per Spiritum Sanctum, à quo docetur & dirigitur.

Prosterno intellectum meũ, sensumq; omnem ad verbum veritatis Tuæ Domine.

Et Tu Domine JESU Veritas diceris & es, & per Te DEVS omnia præstat, quæ promisit hominibus.

7 Bonitas infinita. Quia est plenitudo & scaturigo omnium bonorum cogitabilium, quæ in illo sunt infinities eminentia. Bona Creaturarum censentur pro statu natu-

tu-æ, gratiæ, & gloriæ. Quia bonus, voluit commnnicare se ut bonum, creaturæ.

Bonum Dominum habem9 ô anima mea, & amabilem, cuius bonitatis finis non est.

In Tuis bonitatibus Domine demergo malitias meas, & vni Bonitati Tuæ affectus meos subijcio.

8. DIGNITAS, & ALTITVDO, Deus excelsus & altissimus est. Fecit multa excelsa in creaturis. alia, ratione loci & magnitudinis, vti cælos: alia, ratione officij, vti Reges & Principes mundi; alia, ratione naturæ, vti Angelos: alia, ratione perfectionis & status, qualis est Humanitas Christi, & Beatissima Mater creaturarum purarum prima. Ipse tamen Creator excelsior omnibus, & altissimus, infra quem omnia etiam possibilia excelsa latent.

O malitiam Israelitarum, qui excelsa a se facta sibi erexerãt, ne adorarent Dominum in Hie-

Hierusalem! ô non satis mirandam stultitiam? vt eluderēt Altissimum Devm, in quem crediderunt, vitulorum simulacra excelsa sua posuerunt!

9. Beatitvdo. Beatus Devs est per essentiam, quia summum Bonum sui est, quo non malus vllum. Beatitudo eius est in clara visione sui, & amore & fruitione. Nam comprehensiue se videt, amat, & infinitè de se solo gaudet. Admittuntur creaturæ rationales ad ejusdem boni visionem, amorem & fruitionem, & sic verè beatæ fiunt. Extra autem hanc beatitudinem nihil verè beatum, nisi ad illius consecutionem ordinatum sit, aut de illa quidpiam communicatum.

Quid mihi est ex toto mundo felicitatis, si Te non amem Domine? si non Te solo exsatiem omnes gustus volūtatis meæ & desideriorum?

Inebria me Domine hac ubertate

tate Domus Tuæ, & torrente hoc voluptatis, Tuæ potabis me.

10. IVSTITIA. Lex æterna Deus eſt, vt illi omnia componantur per ſubordinationem, obedientiam, conformitatem ac exigentiam ſuam. Ita per amorem erga Deum altiſſimo modo conformamur Legi æternæ, atq; hanc Iuſtitiam exercemus; Ipſum enim amare ſuprema Iuſtitia eſt, itaq; Dei perfectiſſima eſt, & fons omnis Iuſtitiæ rectitudiniſque per conformitatem ad Legem æternam.

Iuſtitia quæ eſt ad alterum inferior eſt, & in rebus humanis; ſuprema autem Iuſtitia ſtat in ſuprema conformitate cum Lege æterna, potiſſimùm in amore Dei.

Noſſe & amare Te Domine, Iuſtitia creaturarum rationalium eſt, quam Chriſtus nos docuit. Quærite primum regnum Dei & Iuſtitiam eius. Eandem ego aſſumo, & in ea viuere moriq; deſidero.

Decas II Perfectionum Diuinarum.

1. Primum Principium. Immo Principiorum omnium principium. Non est, vbi ultimo consistam ad principium rerū omnium & mei, nisi in Te Deus meus, causa causarum omnium & principium; à quo omnis vis efficiens, omne exemplar & finis, omnis materia & forma, omnes habitudines, & proportiones, earumque multitudo imperceptibilis. Ex ipso, per ipsum, & in ipso omnia.

Jam scio vbi me quæram & cognoscam primam originem meam; & ad quam rediturus sum, nisi me peccata mea retrahant & morentur.

2. Omnipotentia. Quod omnia ipse possit, & semper, & cum beneplacet & quomodo placet. Omnia quoq; creata quidquid possunt, per illum & in illo possunt.

Adora tremendam potentiam, etiamq; in illis quæ in tua libertate posita sunt à Deo.

Permitte verò Te Diuinæ potentiæ, etiam subiecta libertate arbitrij, quam ab illa accepisti.

Accepto omnia gratissimè, de manu omnipotentiæ, & cũ ordinem in quo positus sum in terra, in hominum differentijs secundum statum, fortunam & rerum definitas circumstantias.

3. JVSTITIA in Creaturas. Non quod illis debeat aliquid, sed quia vindex est scelerum, seu iniuriarum honoris sui & amoris. Ego sum, ait, Dominus DEVS tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios: *Exod.* 20.

Confige Domine timore Tuo carnes meas

4. MISERICORDIA. Miserationes eius super omnia opera eius, quibus ad miserorum beneficia inclinatus est DEVS. Prima erat operatio Beneficentiæ Diuinæ in genus humanum; de tenebris nihili naturam

ram eduxisse insignitam imagine vultus sui, atq; ornamenta congrua & pretiosa addidisse. Altera fuit post corruptionem acceptam in natura, per peccatum, ad statum gratiæ filiorum Dei hominem lapsum erexisse & promouisse: tandem & ad gloriæ suæ consortium viam aperuisse.

Ibi erit, Misericordias Domini in æternum cantare; ô non præteteat me, ô misericordia, amplitudo Tua infinita, cuius non est numerus!

5. Providentia. Hæc, quæ per omnipotentiam fiunt, in mensura, numero & pondere dispensat, conseruat & gubernat, pertingens à fine vsq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Fortiter pro placito suo exequendo; suauiter, pro libertate arbitrij nostri.

O abyssum imperceptibilem Permissiuæ Prouidentiæ! quæ mala & iniurias honoris Dei, permittis malitiæ humanæ, ac deinde de malis nostris, bona educere nosti

Dono Tibi Domine vniuersam libertatem arbitrij mei, ne offendam Te, & ne permittas honorem Tuum à me violari vnquam.

In manibus Tuis ô Diuina Prouidentia depono sortes meas, spem omnem, casus, aduersitates & prosperitates, morbos & dolores, vitam & mortem: Cum Tu aperis manum Tuam, omne animal repletur benedictione.

6. BENIGNITAS. Est pronissima inclinatio ad benefaciendum per collationem boni æterni: atq; mouens Deum ad condendas creaturas capaces eiusdem boni participandi; qualis est Angelus & homo. Dignatus est deinde benignus DEVS mittere in terras Vnigenitum suum ad reconciliandum, eum, qui se indignum ea benignitate Dei fecit; eumq; filium Dei efficeret, & prouideret ei media salutis æternæ,

Benignitatis est peccatores inuitare & acceptare, atque gratiæ restituere.

7. Clementia. Dominus à seruo suo offensus, ejusdemq; iudex, ita in præuaricatorem dum vivit animatus est, vt ad vnam pœnitentiam paratus sit condonare, ei vniuersam offensam, & pœnas molliores acceptare; Atrocissima item peccata, & multitudine velut infinita dimittere: patienter sustinere obstinatam malitiam, & inter peccandum expectare pœnitentiam: interea & cohibere vindices manus Angelorum & Dæmonum donec zizaniorum tempus adueniat. Clementiæ quoq; est peccatorem putidissimum in filium Dei adoptare, & diuitiarum suæ gloriæ in æternitate participem facere.

O Domine, quia ego peccator sum, magis in me elucet Benignitas & Clementia Tua. Parce ad Te redeunti, & sinū Clementiæ Tuæ aperi dolenti de offensa Tua.

8. Amor: Deus nihil odio habet eorum quæ creauit. Amor vero creaturæ elucet in vnigenito Dei Incarnato.

Teſtes eſtis amoris peccatores, pro quorum vno centeſimo reliquit centum iuſtos ſuos. Pro reductione veſtri ad Patrem clementiſſimum, vitulum ſaginatum appoſuit & grāde conuiuium fecit, quod hucuſque durat pro peccatoribus pœnitentibus juxta ac pro iuſtis.

O quomodo non amem Te Domine, vt vel micam rependam amoris, pro tanto mari effuſo ad meam ſuperabundantiam?

9. DOMINIVM. Dominus eſt, fiat quod placitum eſt in conſpectu eius. Dominus eſt omnium, quia ex ipſius theſauris omnia proueniunt, & nihil non ab ip ſo eſt. Nec figulus ollæ ſuæ ita dominus eſt, quia aliunde ille lutum accipit, ignem, & artem. Dominus eſt omnium poſſibilium, quæ illi

ſemper

ſemper præſentia ſunt, & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. Dominus Dominorum eſt æque ac vilium vermium. Dominium baſſum communicat creaturis, ipſe altum tenet, quod omnia comprehendit.

Agnoſco Dominium Tuum altiſſime Domine, maius, quam in vermiculum poteſtas mea, & magis quam ollæ in manu figuli. Siue me morbis exerceas, ſiue caſibus & aduerſitatibus conteras: Dominus es, non eſt mihi iniuria. Verſa me pro placito Tuo, pronus cado.

10. Finis Vltimus. Deus ita principium eſt omnium, vt etiam ſit finis vltimus eorum. Ab illo exeunt creaturæ, & jn eundem redeunt, præſertim rationales; quibus præſtitutus eſt finis, Gloria Dei, obſequium, amor, timor, ac denique præmij loco beatitudo, quæ eſt ipſe Devs beatiſſimus, vt illo fruitiue gaudeant per totam æternitatem.

Infe-

Infelix creatura, quæ finem vitæ ſuæ, cogitationum affectuumq; ſtatuit ſibi in via, hoc eſt in vſu creaturarum, in guſtibus temporalibus, & vlterius non tendit ad finem rerum vltimum, id eſt ad DEVM.

Protector Domine nihil mihi ſapere, me nihil ſperare, velleq;, niſi Te ſolum tuumque amorem, gloriam & obſequiū Tuum, & tandem Te perfectiſſime amore beatifico complecti.

DECAS Perfectionum Dei, aliarum quæ in homine correſpondentem affectum citius prouocant.

1. Amabilitas, excitat, Amoris guſtum.
2. Pulchritudo & dulcedo, Admirationē amoroſam.
3. Diuitiæ Bonitatis Cupiditatem habendi.
4. Majeſtas Adorationē & honorem.
5. Liberalitas Mendicitatē pauperis.

6. Po-

6. Poteſtas Iudiciaria — Timorem & ſubmiſſionem.
7. Refugium — Fugam à mundo & periculis.
8. Spes noſtra — Gaudium & diffidentiam in ſuis.
9. Vita & ſalus — Exultationẽ & fiduciam.
10. Fortitudo noſtra, — Audaciam contra hoſtes animæ.

Omnes affectus pietatis locum hic habent in recogitandis Perfectionibus Dei: qui in Jdea VIII. recenſentur, ſed præcipue, Adorationes profundæ cum omniũ genu creaturarum, ſui demiſſiones in abijſſum nihili; Laudes & exaltationes Dei, Gratiarum-actiones, amores, & gaudia; nec non virtutum variarum actus in affectus impulſi.

Uſus huius Jdeæ eſſe poteſt, 1. per modum Contemplationis, ſi quis ſtatuat ſe in conſpectu Dei & Angelorum, Sanctorumq; omnium, coram ipſa SSma Trinitate, atq; ſic poſitus decurrat Decadem aliquam Perfectionum Diuinarum cum affectibus ſuis, præmiſſa breui expenſione Perfectionis cuiuſque.

2. Poteſt quoq; in decadibus Roſarij, ad

ſingulas

singulas Perfectiones memoriâ sibi præsentatas, & aliquo nutu corporis adoratas, cum intima animi demissione, recitari Gloria Patri &c.

3. In Meditationibus facile locus erit euoluendis Dei Perfectionibus cum aliquo affectu, quem materia meditationis porriget.

Paucis magnitudo tanta huius materiæ explicata est, ne liber fieret, & quantum sufficere potest ad exercitium Pietatis Religiosæ præsertim ijs, qui habent aliquam eruditionem Theologicam.

IDEÆ PARTICVLARES.

Ad actus determinatos Pietatis Religiosæ.

JDEA XI.

Communionis Spiritualis.

Cujus vsus sit frequentior, audiendo Missam, visitando Venerabile Sacramentum, & quandocunq; acceditur ad locum, vbi asseruatur illud.

Sacra-

Sacramentalis communio requirit actualem sumptionem Sacramenti, ad unionē cum Christo consequendam; spiritualis autem Communio est desiderium unionis illius, non quodcunq;, sed excitatum, famelicum per quod affectuosè homo vniatur Christo, & æquiualentem fructum capiat. Sit desiderium simile illi, quo B. STANISLAVS KOSTKA, ferebatur in via, sumendi Eucharistiam, vbi in templo hæretico se esse aduertit; & quo meruit, vt Angeli aliunde illud ei attulerint.

Unio inter Christum & hominem fit,

1mo. Per vnitionem potentiarum animæ, præsertim voluntatis conformantis se voluntati Dei & amantis, conantisq; adimplere omnes gustus beneplaciti Diuini: Intellectus vero per fidem, & abnegationem suarum sententiarum.

2. Per unitionem appetitus rationalis, qui est amor, cuius actus deduci possunt per vias suas in Jdea IX. positas.

3. Per vnitionem omnium quæ intra hominem sunt juxta Psalm: 102. scilicet appetituum rationi & pietati subijciendorum, qui passiones dicuntur, facultatum vivi corporis, sensibilitatum & sensualitatum, inclinationum & habitu-

nm,

um, omnia ſubijciendo Chriſtò eiuſq; legibus placitis,

4. Per vnitionem ſui, vt perfectibilis cum ſuo perfectiuo; tendentis cum ſuo fine; imaginis cum ſuo prototypo; creaturæ cum Creatore Redemptore, Conſeruatore, Præmiatore.

5. Per varias virtutes, & primo quæ ad DEVM immediatè referuntur per Fidem, Spem, Charitatem, deinde per timorē, zelum gloriæ, Religionem, pietatem, ac per virtutes Religioſas, obedientiam, caſtitatem, Paupertatem, &c.

6. Sequatur aſſecuratio non deſerendæ vnionis, ſed perſeuerantiæ, quod neq; gladius, nec perſecutio, neq, mors poterit ſeparare, neq; vita, neq; totus mundus.

Praxis Spiritualis Communionis.

PRocido humillime coram Te ô Rex gloriæ Domine IESV, dilecte cordis mei, qui hic habitas poſt parietem noſtrum,

strum, per diuinam immensitatem, per unionem Verbi cum Humanitate, & per animam corpusq; quas præsentias Tuas profundissimè adoro.

2. Aperio Tibi cor meum cōtritum, imprimis, quia doleo de peccatis meis, ex amore Tui & ablutum sanguine Tuo pretioso. Veni Domine JESU, descende ád serunm Tuum, & affer, quæ parasti in dulcedine Tua pauperi DEUS.

3. Desidero te amplecti & applico me Tibi Tuæq; Diuinitati, Personæ verbi hypostarice vnitæ Humanitati; Animæ item Sanctissimæ, corpori & sanguini: Applico me & sanctissimis Perfectionibus, quas in

me & de me glorificari & adimpleri cupio; Iustitiæ, Misericordiæ, Sapientiæ, Dominioq; &c. quibus omnes de me gustus exhibere desidero.

4. Desidero Te sacramentaliter complecti, & vnio me Tibi totis & omnibus Potentijs animæ meæ, Intellectu per fidem dilatato, memoria, ac præsertim explicatissima voluntate mea in omnes gustus beneplaciti Tui.

5. Desidero Te, & complector omnibus desiderijs, toto corde meo, totis viribus, tota mente, fortitudineq;, tota anima, toto amore beneuolentiæ, toto amore concupiscentiæ & gratitudinis, totoq; amore appretia-

tiuo, quibus me Tibi applico & vnio. Complector item omnibus appetitibus ſenſitiuis, ſenſibilibuſq; inclinationibus, hæc vinco & ſubijcio Tibi: & omnia, quæ intra me ſunt, expando, ad Te complectendum & amandum.

6. Deſidero Te habere, & me Tibi vnio, tota Fide, ſpe, timore, obſequio, zelo honoris Tui, tota Pietatis & Religionis amplitudine; totâ obedientiâ, Paupertate, Caſtitate, & cuius exercitium ſuſcepi; omnibus intentionibus & propoſitis meis.

7. Deſidero Te meum Perfectiuum, contra imperfectum meum, tanquam perfectibilis

à Te, tanquã vera Tui imago, Tu prototypon meum; vt in Te plene transeam, tanquam viator in finem meum, in creatorem & Redemptorem meum, ut creatura Tua & Tibi empta.

8. Desidero Tecum, & in Te esse, viuere Teipso: nec me separabit à Te tota mundi felicitas, nec tentatio, nec metus, nec gladius, nec mors.

Anima Christi Sanctifica me
Corpus Christi salua me
Sanguis Christi inebria me
Aqua lateris Christi laua me.
Passio Christi conforta me,
O bone IESV exaudi me
Intra vulnera Tua abscõde me
Et ne permittas me separari
à Te. &c. &c.

Quibus

Quibus potest adiungi. Diuinitas Christi absorbe me in Te Tuisq; miserationibus & dignationibus.

Humanitas Christi fac me perfectum in amore & obsequio Tuo.

Nihil feliciùs obuenire potest homini Religioso, quam frequens vnio cum DEO & Christo, quia homo per eam eleuatur à suis vilitatibus, terrestreitatibus & animalitatibus ad consortium Dei. Sic filiationem Dei in se magis exaggerat, & participationem bonorum Christi.

Potest breuiore compendio peragi communio Spiritualis, etiam solâ recitatione orationis illius, Anima Christi Sanctifica me &c. subintelligendo, quod se vniat Animæ sanctissimæ, suamq; animam desiderio & amore multiformi: ita & alijs, quæ recensentur in eadem oratione, Subnectendo etiam aliqua ex illis punctis vniendi se modos continentibus.

Ad excitandos affectus ad hanc Communionem, seruient verba sensusq; Sacræ cripturæ.

Ad-

Admitte me Domine ad Sacrum conuiuiū, ad delicias Regum, ad panem Tuum pinguē.
Da mihi Domine esurienti, quē occidisti nobis peccatoribus filijs vitulum saginatum, & quem negasti seniori fratri nostro Angelo,
Porrige mihi bone JESU ubera poculi Spiritualis
Compendium verborum, tamen pro largioribus affectibus esse potest.
Adoro; desidero; cor aperio; expando amplexum; veni Domine JESV; amplector tota anima, toto corde, totis virib9, omnibus quæ intra me sunt, toto me, & per omnes atomos meas. Tu quoq; dignare me amplexu Tuo, vt vnum sim Tecum in æternum.

JDEA
Communionis Sacramentalis.

EOdem spiritu communio hæc peragitur, quo & Spiritualis, mutatis tantũ verbis desiderium significantibus, in verba præsentis sumptionis, pro desidero, dicatur, accipio & complector.

Potest statim sumpto Sacramẽto practicari Jdea III. adorationũ, quibus hospes Christus salutetur. vel immediate Jdea IX. ex vijs Amoris Dei. amplectendo Dominum, & explicaudo illi amorem suum, per modos & actus ibi positos. Postea petendum est, vt etiam Dominus IESVS te complectatur, vniatq; sibi. Nihil magis vnionem facit, quam amor mutuus. Juuabitque tunc imaginatio illa filij prodigi Patris pedes tenentis, & ipsius Patris eundem amplectentis, & osculum dantis. Amplexus & oscula ex parte Christi sunt.

1. Dignatio eius ad viscera tua veniendi, & vnionem sui offerendi; ideoq; sistit se in Sacramento, & expectat semper amplexus tuos. 2. Osculum eius, bonitates quibus te complectitur in misericordia, liberalitate, & apportatione diuitiarum su-

arum. 3. Magnum osculum & amplexus, ad te saluandum suscipere crudelissimam passionem, & mortem: transfundendo autem in te merita, virtutes, & thesauros suos omnes.

Ex parte tua complexus & oscula sint, 1. Effusus amor, per omnes modos suos, constans. & non tantùm affectuosus, sed etiam actuosus. 2. Amplexus per Fidem, Spem, zelum honoris vsq; ad destructionem tui pro Christo. 3. Affectus assimilationis illi per imitationem præsertim in in patiendo pro Deo, 4. Amplexus per alias virtutes heroicas, & difficiliores, zeli, obedientiæ, abnegationisq; & apud se propositas.

Pro longiore actione cum Christo, iuuabit Jdea VIII, affectuum eliciendorum accommodate ad Christi præsentiam. Idea quoq; V. ex virtutibus Christianis, actus earum, loco munerum deferendo: licet non omnes earum diuisiones percurrantur. Accommodari ætiam potest Idea trium viarum Perfectionis, & Idea X. ex Perfectionibus Dei, quæ etiam Christi, sunt, ex parte Divinitatis.

Deniq; locum hic habent 1. Gratiarum actiones, benedictiones cum cælestibus & terre-

terreſtribus, omnibuſq; creaturis. 2. Petitiones pro ſe aijſq; Spiritualium temporaliumq; neceſſitatum. 3. Oblationes & munera ex tuis propoſitis & victorijs.

4, Commendationes ſpiritus ſui in protectionem, Intentionum ſuarum ad gloriam Dei. Et tandem imploratio benedictionis ad vitam ſanctè agendam.

Ante Communionenm Sacramentalem.

1. Recognitio vilitatum ſuarum & humiliatio ſui.

2. Emundatio conſcientiæ Sacramentaliter, vel per contritionem.

3. Inuitationes per deſideria vnionis.

4, Intentiones communionis, ad finem gloriæ gratiarum-actionis, ſatisfactionis, impetrationis ſibi aut alijs.

5, Ornamenta animæ colligere ex meritis & virtutibus Chriſti, ex ſuis virtutibus, affectibus, & propoſitis.

Poſſet ſe homo veſtire inſignibus Paſſionis Chriſti, & ornare, Crucem humero, clauos pectore, manibus vincula, opprobria vultu præferendo, ſpineam coronam capite, ad ſingula affectibus accommodatis,

JDEA XII.

Pietatis ad Missam.

Duplex sit eius modus: primus, facta diuisione maiorum partium Missæ, alter ad singulas partes aliquam deuotionem exercendo.

§ I. Imaginatio ad vtrumque & pro toto tempore Missæ, ad mentis compositionem, seruiet hæc.

Statuat se homo in monte Caluariæ, ubi sub Cruce Christi positum altare si, ad quod sacrificatur, spectante desuper SSma Trinitate & curia cælesti vniuersa; in circuitu autem assistentibus creaturis præsertim illis quæ Christum in Cruce pendentem, hostiam & Sacerdotem adorauerunt; nam præter homines Sanctos, qui crucifixioni aderant, & aliæ creaturæ cultum suo modo exhibuerunt; sine dubio tota Angelorum multitudo, sol obscuratus, petræ scissæ, tremuit terra, corpora mortuorum apparuerunt, Et velut si in conspectu totius orbis sacrificium fieret, ex quo fru-

fructum expectaret: cujus vicem ac populi Christiani agunt ministrantes Missæ.

Tria sunt præcipua in Missa; Sacrificium, participatio eius, & Orationes supplicationesq;.

I. ORATIONES dant initium Missæ, quæ nomine Ecclesiæ funduntur, & eas comitari debet auditor Missæ, cum respectu ad merita Christi & Sanctorū intercessionem.

Puncta vero petitionum ordinaria sunt.

1. Gloriæ Dei amplificatio, præsertim per se suosq;
2. Ecclesiæ Dei exaltatio, & dilatatio, cū victoria hæresum.
3. Patriæ pax, bona consilia, Religionis conseruatio.
4. Ordinis spiritus principalis.
5. Suæ necessitates, suorumq; amicorum, domesticorum, salus æterna, & gratia Dei.

II. Sacrificium ipsum incipit ab offertorio, cuius fines principales sunt, iuxta quos intentio formanda in offerendo ipso Sacrificio.

Offero Tibi SSma Trinitas hoc incruentum *Sacrificium*

de corpore & sanguine dilectissimi vnigeniti Patris.

1 Ad memoriam passionis & mortis eiusdem Christi Tui; & ad gustus Tibi reddendos Complacentiarum in illo eiusq; Sacrificio, juxta vocem Tuam de cælo auditam, Hic est Filius meus, in quo mihi bene complacui. Ad gustus item & complacentias Sanctissimarum Perfectionum Tuarum, Misericordiæ, Iustitiæ, ac Sapientiæ, Bonitatisq; Tuæ.

2. Ad gloriam Tibi reddendam, prout eam Christus restaurauit, & perfecit in sacrificio suo.

3. Ad gratiarum-actionem humillimam pro omnibus bene-

neficijs Mundo, Ecclesiæ, Patriæ, Ordini, mihi meisq; præstitis. Pro Creatione, Redemptione, conseruatione, pro Gratijs per Christum, salutisq; æternæ promissionibus.

4. Ad satisfactionem Iustitiæ Tuæ pro reatibus & pœnis; compensationemq; defraudationum gloriæ, amoris, & obsequij Tui, omnium quidem hominum vice, sed præsertim nomine meo tanquam peccatoris.

5. Ad propitiationem quoq; pro peccatis nostris.

6 Ad impetrationem communium bonorū gratiarumq;, & particularium necessitatum Ecclesiæ, Patriæ, Societatis, domusq; meæ & meorum, præ-

ferrimi huius, N

7. Simul etiam ad vnionem cum sacrificio, substerno Sancto altari Tuo omnia opera mea, labores, intentiones & proposita, vitam, mortemque meam, cum omnibus eius accidentibus; atq; ea simul offero, tanquam minutum æs cum auro pretiosissimo & copiosissimo Domini mei Redemptoris.

Ad præparationem Sacrificij peragendi, bene assumitur per affectũ ipsius Christi persona, in qua Sacerdos dicit, corpus meum; merita quoq; eiusdem, virtutes, affectus & intentiones habitæ in Sacrificio cruento: dignitas item præsertim Sacerdotij æterni, vestitus passionis in vestitu Sacerdotali,

Potest eadem illa oblatio Sacrificij ad fines prædictos iterum sub eleuatione Hostiæ fieri & repeti, aut omissa possunt perfici.

III, Participatio Sacrificij eſt in Communione Sacramentali, vel ſaltem Spirituali, quæ omittenda non eſt,

Deſiderium ſumendi corpus Chriſti, & in ſe habendi Dilectum ſuum, excitandum eſt, cum affectu vniendi ſe illi, quod Jdea Communis Spiritualis habet. Complexus Chriſti fiat in viſceribus dilatato corde per amorem, juxta Jdeam viarum amoris Dei. Hic locum habet, munera deferre Chriſto in corde ex actibus virtutum aliquarum; Sacrificia de ſeipſo, de ſuis propoſitis, de ſui victorijs formare: petitioneſq; neceſſitatum communium & particularium exponere Chriſto.

§ II. Ad ſingulas partes Miſſæ actus pietatis varij occurrunt ex verbis & intētione Eccleſiæ.

1. Jn acceſſu ad altare recogitetur maximum negotium cæli & terræ peragendum eſſe; Eccleſiæ, ſuorumque omnium; negotium verò cum DEO tractandum de vniuerſo, ad quod tremunt inferi, exultant cæli; terra benedicitur & lætatur. Reijciatur

tur ergo omnis alia cogitatio, vnum Sacrificium mentem occupet, & desiderium fructus ex eo capiendi.

Excitanda Fides, Spes, Charitas & Religio.

2. Descensus ad imum gradum ab altari, est descensus ad humilem pœnitentiam, & quasi ad locum illum publicani à longe stantis & pœnitentis, nec audentis oculos leuare suos; vbi in Confiteor ante verba, Mea culpa, mente subijci possunt hæc; Confiteor quia homo peccator sum, quia doleo ex toto corde, quia nolo offendere, & ab alijs Deum offendi. Ideo imploro auxilium Sanctorum istorum.

Confessio præmittitur peccatorum, vt puriore conscientia accedatur ad Sacrificium; audientes autem vt assistant cum eadem puritate.

Significare etiam potest descensus iste vilitates naturæ humanæ per peccatum humiliatæ, ad quam descendit Filius Dei Sacrificium maximum oblaturus secundum ordinem Melchisedech in pane & vino

3 Ad Kyrie-eleison, est recognitio Dominij Diuini, cui se subdat creatura, & acceptet vt hoc Dominium Dei exerceatur in se.

4 Ad hymnum Angelicum, Gloria in excelsis, Ecclesia cum vniuersitate Angelorum & creaturarum omnium, quarum vicem gerit, effunditur plenis affectibus in laudem & glorificationem Dei, exaltationem Christi Filij Dei peccata mundi tollentis; etiam cum euacuatione nostri; quia ille solus Sanctus, solus Dominus & altissimus, ideoq; dignus vt in eius honorem destruamur. Quod facit Ecclesia per Sacerdotem, audiens verò Missam pro se ipso faciat vel recitando eundem hymnum, vel sensum eius persequendo.

5 Orationes succedunt per merita Christi, aut Sanctorum, quibus subiungantur suæ rogationes cum Ecclesiæ supplicatione juxta §. 1. supra.

6. Ad Epistolam & Euangeliũ surgendo, reuerentia exhibetur prædicationi Verbi Dei; Desiderium vero excitetur & affectus, vt dilatetur verbum Dei, & latius per orbem propagetur Euangelium; Deus quoq; rogandus vt Ecclesiæ prouideat multos operarios & viros Apostolicos.

7. Ad Credo, Confessio est Sanctissimæ Trinitatis, cuilibet Personæ actus Fidei & & adorationis exhibetur; quia vero plura

affe-

afferuntur ex vita Chtisti, possunt per stationes vitæ eius & singula mysteria adorationes mente elici, & affectus tunc occurrentes.

8. Ad Offertorium. Intentionem assistendi sacrificio formet juxta fines sacrificij §. priore positos, quos etiam Sacerdos compendio & mente exprimit sub oratione Offertorij.

De seipso etiam Sacrificium substitui potest, per aliquem laborem suscipiendū, aut victoriam sui, aut aliquam destructionem suarum rerum & sui, quasi cadentis in victimam.

9. Præfatio facit vnionem affectuum humanorum cum Angelorum actibus, ad gratiarum-actiones Deo, & laudes, prout illi diuersi sunt per choros suos, & diuersis rationibus DEVM colunt & amāt, alij alijs. sublimiores & illuminatiores. Et sic cum eorum affectibus per imitationem exclametur: Sanctus, Sanctus &c.

10. Jn Canone Sacerdos, per merita Christi orat nomine Ecclesiæ pro varijs, & pro viuis ad arbitrium suum. Audiens etiam pro ijsdem orare potest.

11. Ad Consecrationem quasi viâ apertâ de cælo supra altare pro aduentu Filij

Dei

Dei sub species panis & vini: adoretur tanquam eleuatus in Cruce in Sacrificio cruento.

Te qui sedes super Cherubim, in cruce pendentē & morientem profundissimè adoro, cum omnib9 Angelorum Choris, cumq; omnibus creaturis morte Tua commotis.

Adoro Sanctissimum corpus Tuum & sánguinem effusum in salutem meam, adoro prout emptus eodem, & ab æterna perditione liberatus.

Esto benedictus occise Agne Dei, qui tollis peccata mea, qui mihi librum vitæ aperuisti, & hostem animæ meæ prostravisti.

Recogitare potes, hic, idem planè esse Sacrificium quod olim in monte Caluariæ peractum est, cruento modo, hic vero incru-

cruento, hoc eſt ſine doloribus & effuſione ſanguinis per cruentationem & vulnerationem. Jdeo Chriſtus ſemper eſt victima pro nobis; nam & S. Bonauent. ait, illum voluiſſe pendere in Cruce vſque ad finem mundi, ſi ea neceſſitas acceſſiſſet. Sed eius vice frequens Sacrificium peragitur in Eccleſia, & tam frequenter, imo inceſſanter, ſi totum Orbem percurras, repræſentatur in Cruce pendens Chriſtus. Hanc frequentiam videntur poſtulare frequentia in Mundo peccata, & frequentes noſtræ naturæ neceſſitates ſpirituales, inter tot hoſtes & pericula ſalutis noſtræ. Ita frequenter Chriſtus poſtulat, & offertur pro nobis, & exauditur pro reuerentia ſua.

12. Memoria fit mortuorum per Memento &c. quaſi inuitatur Chriſtus ad Purgatorium, ad animas valore Sacrificij eliberandas.

1. Primum auxilium poſcunt Parentes,
2. Deinde pro quibus obligatio eſt,
3. Quibus data eſt occaſio Purgatorij etiam inculpabilis.
4. Qui nullum ſuffragium habent,
5. Benefactores proprij.
6. Pro quibus celebraretur, ſi ſcirentur mortui eſſe & indigere.

7. Quos DEVS ordinauit per te iuuandos in Purgatorio.

13. Post mortuos orat Sacerdos pro nobis peccatoribus, hoc est, præsentibus, vt cum Sanctis societatem acquiramus.

Da Domine JESV & mihi de altari Tuo gratiam salutis æternæ, & aperi mihi cælum Cruce tua, vt cum Sanctis Tuis laudem Te in æternum.

14. Oratio Dominica etiam ab audiente dicenda pronuntiatione lentâ ad mentis progressum.

Pater noster, ego filius, adoro cor paternũ & amorem erga me, o sim dignus filiatione Tua!

Qui es in cælis vbi hereditatem mihi præparasti, quam desidero mereri cum meritis Christi.

Sanctificetur nomen Tuum, quod ego glorifico, & per omnes creaturas exaltari desidero.

Adueniat regnum, vt regnes ubiq;, & ego tecum in Patria, quam unice amo, & desidero in hoc exilio.

Fiat voluntas. in me, de me, ex me, omni-

mnibusq; meis atomis, cui in Sacrificiũ meam voluntatem cædo, vt Tua solâ viuam, ad gustus Tuos. Ita illa in me fiat, sicut in decretis Tuis.

Panem nostrum, &c. quo anima nostra viuat; gratiam Sacrificij, Sacramentorũ & benedictionum cælestium; deinde quo corpus etiam adiuuetur ad obsequium Tuum.

Dimitte nobis &c. per Christi sanguinem effusum, & per Filium Crucifixum, ad cuius crucem amplector omnes debitores meos, & offensas omnes condono.

Et ne nos inducas &c. Hoc Sacrificium sit nobis clypeus contra insultus Dæmonis, mundi, & carnis, virtutem Crucis Domini JESV illis oppono.

Sed libera &c. à malo quidem æterno inprimis, sed etiam à malo peccati, & à malo temporali, sub alis gratiæ Tuæ nos conseruare digneris.

15. Ad Agnus Dei, pœnitentiæ actus præparatorius ad Communionem Sacrificij.

O quam grauia Tibi Domine JESV erant peccata mea, qui es Agnus Dei, illis oppressus

vsq;

vſq; ad mortem. Doleo de illis ex amore & pretio Tui; & ſimul immergo & demergo eadem in paſſione & ſanguine Tuo. Eſto mihi propitius, & indue me meritis Crucis, quia non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.

16. Communio Spiritualis peragenda hic ex Jdea ſupra paulo poſita.

Jn exitu Miſſæ benedictio datur ex vi Sacrificij & meritorum Chriſti; accipienda cum inclinatione capitis & humiliatione ſui.

Benedic Domine animæ corporiq; meo, & toti domui meæ.

Euangelium D. Joannis claudit Miſſa, ad confitendam & prædicandam Diuinitatem Chriſti, veramq; eius humanitatem, ex quibus hoc Sacrificium valorem ſumit infinitum, & ſatisfactionem pro peccatis mundi condignam; pretiumque vt nihil nobilius mundus habere poſſit, Diui-

no

no honori nihil aptius, nobis nihil vtilius. Ex quo intelligatur, quanti sit Sacrificium Missæ, eiq; sæpe assistere.

JDEA XIII.

Visitationis Venerabilis Sacramenti.

FIlius Dei ita cælos ascendit, vt tamen nobiscum maneret etiam in terris corporaliter in Ven: Sacramento, protestatus per Sapientiam suam, delicias illi esse cum filijs hominum. An ad delicias illi faciendas non seruiet frequens eius visitatio, & cum illo conuersatio affectuosa? Habitat nobiscū ceu pater cum filijs, sponsus cum sponsa quæ est Ecclesia & nos in illa; ceu Rex cum dilectis subditis, Magister cum discipulis, pastor cum ouibus: ad solatium exilij nostri, ad auxilium infirmitatis nostræ, ad defensionem ab hostibus, ad pabulum animabus.

Proinde accessurus ad visitationem Ven: Sacramenti efformet se nunc filium euntem ad Patris amplexum, nunc discipulum, nunc subditum, nunc sponsum, nunc ouem, ad affectus pietatis excitandos:

dos: Surgam & ibo ad Patrem meum, Sponsum, Regem, Doctorem, pastorem meum.

Actus visitationis sint.

1. Adoratio profunda, etiam exterior quæ tunc fieri potest, præsentis Christi recogitando præsentiam eius multiformē; inprimis Immensitatis ex Diuinitate, deinde præsentiam Personæ Verbi hypostatice vniti humanitati: tum præsentiam animæ, corporis, & sanguinis sanctissimi. Adorationi modos dabit Jdea III. adorationum.

2. Secundus actus, Communio Spiritualis seu prolixior, seu compendio collecta, quæ communio amplexum dilecti sui efficiet, quem visitat, licet adhuc velatum facie, & post cancellos specierum panis. Jdea paulo ante est communionis Spiritualis.

3. Tertius actus, munerum suorum oblatio Regi suo, sponso & patri, seu renouatio intentionum matutinarum pro hoc die, pro anno, & pro tota vita. Et specialiter pro donis ea afferre, quæ ad exercitiū frequens assumpta sunt, virtus aliqua, vel victoria vitij.

4. Quartus actus, petitiones & expositio-

tio suarum necessitatum Spiritualium, & temporalium.

Necessitatum pro Perfectione acquirenda, item pro Gloria Dei promouẽda &c.

Usus & praxis Jdeæ huius.

1. Visitare frequenter locum, vbi asseruatur Venerabile, seu adeundo, seu per occasionem, nunquam omittendo actus visitationis, licet sub compendiosis verbis. Imo transeundo parietes templi, proijciatur oculus & affectus penetrantes ad visitandum Dominum.

Ecce hic dilectus meus post parietem nostrum! Transmitto Tibi adorationem, amplexumq; meum, respice me post cancellos istos, credentem, amantem, sperantem, & glorificantem filium Pater.

Ecce Dominus meus & Deus meus; videt me, expectat me, amat me, parat mihi ample-

plexum ſuum, omneſq; diuitias ſuas.

In deliberationibus. Ibo ad conſilium capiendum, ad conſultorem meum, Doctorem meum. Diſcam facere voluntatem eius.

In afflictione. Ibo ad refugiũ meum, conſolatorem optimũ, meaſq; delicias.

Jn receſſu pro continuatione affectuum, acſi recedere nolis, ſed cogaris, relinque cor tuum pro lampade ardente, coram Domino, quaſi illud nolis amouere ad alias curas.

2. Imaginationes aliquæ petitæ ex Euangelio, aut ex feſtiuitatibus, ſeruient ad augmentum affectuum.

Cum Magdalena quærendo Dominum per domos, & ruere ad pedes eius, lacrymis lauare velle, & effundere odorata vnguenta fracto alabaſtro, ſeu corporis imp edimentis.

Cum Centurione accedere & petere ſani-

sanitatem animæ suæ: vel cum Nicodemo consilium inire, aut doctrinas petere ad veritatem discendam.

Ex festiuitatibus facile est formare eiusmodi conceptus affectuum; vti in Natalitijs festis; adire stabulum, adorare puellum, munera afferre cum pastoribus, aut cum Regibus meliora & pretiosiora. Dies Passionis Christi copiosiorem dabunt segetem deuotionis.

IDEA XIV.
Ad Orationes vocales.

SIcut ad omnem alium actum Religiosum præcedere debet reflexio, quid acturus sit homo, qua attentione, diligentiâ & compositione sui; ita ad vocalem orationem ea reflexio est maximè necessaria.

1. Primo igitur vocalem orationem præcedat ea reflexio, quod in conspectu Dei & cæli totius se det, proinde diligentiam, attentionem & deuotionis affectus aduocet.

Loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis. Anima mea

surge

ſurge & præpara potentias tuas, & indue te veſtimentis Domini JESV, meritis, virtutibꝰ, affectibus & intentionibus eius.

2. Secundo Intentio applicet orationē ad quid, & pro qua re agenda ſit.

Orabo Domine in conſpectu Tuo, ad reddendum Tibi honorem latreuticum, venerationemq;: ad gratiarum-actionem pro effuſione miſerationum, bonitatumq; Tuarum: ad compenſationem defraudationum noſtrarum honoris, amoris & obſequij debiti: ad communem cum Eccleſia, Tui laudationem, exaltationemq; Pro hac re, N. pro negotio, N. pro impetranda gratia N. Pro

his

his & illis pro quibus orare debeo.

3, Tertio. Exercitium Præsentiæ Dei admouendum, eo quod orandum sit coram Domino præsente, vidente omnia & inspectante intima.

Ad Gloria Patri &c. procidere solent aliqui, fronte admota terræ, cum patitur locus, vel inclinatio capitis humiliationem animæ commoueat.

Ad Pater noster. Statuat se mendicum coram Domino, qui Deus maximus est, aut sicut filium coram Patre panem postulantem, sed prius gloriam Patris sui, & voluntatis eius executionem. Septem hic petitiones sunt; in prioribus petuntur ea, quæ Deo debemus, agnitionem Patris, gloriam & sanctificationem, regni amplificationem, voluntatis executionem, in reliquis petuntur homini necessaria, victus & panis, etiam animæ necessaria & corporis, gratia Dei, & defensio à malo.

Ad Credo. Excitandus affectus omnis possibilis ad Confessionē Sanctissimæ Trinitatis. Et inprimis post Fidei actum excitatissimum & firmissimum, adoratio mentis humillima, cum illa demissione

quæ

quæ esset in conspectu corporali coram summis & terribilibus maiestatibus cogitabilibus, & quam habebit post mortem in conspectu solius animæ, sine velo corporis. Eadem adoratio cum timore & deiectione intellectus, singulis Personis Trinitatis ad sua verba exhibenda est; sed latiùs Personæ Verbi Incarnati, ad singulas stationes vitæ in mundo, & mysteria eius, quæ exprimuntur in symbolo, & quæ subintelliguntur.

Ad Confiteor, Imaginatio concipi potest, quod adiungat se publicano Euangelico, à longe stanti ab altari Domini, & pœnitenti, nec attollenti oculos præ pudore peccatorum suorum. Deinde sub verbis Confessionis, sensus istos mente exprimat:

Confiteor coram his Sanctis, quia homo peccator sum; quia doleo, eò quod amē ex corde, & quod appretiem honorē offēsi Dei; quia nolo amplius illū à me offendi, & ab vllo meorum & non meorum; & quia

 volo

volo compẽsare offensas & defraudationes honoris & amoris. Ideo precor Sanctorum protectionem contra peccata, & defensionem.

Ad Lytanias de Sanctis, 1. Statuat se imaginatione in conspectu cæli & vniuersitatis Sanctorum, coram SSma Trinitate, velut aperto cælo; & attendendum diligenter ad Nominationem SS. Trinitatis & Personarum, respondendo cum intima humiliatione sui, & appretiatione reuerentiali Maiestatis: etiam demittendo se ad fundum nihili sui, & ipsius Inferni peccatoribus debiti.

2. Ad nomina Sanctorum, quasi supplex ad singulos accedat cum debita illis veneratione, orando, vt apud SSam Trinitatem intercedant, iuuentq; ad impetrandum, quod Ecclesia in orationibus petit, & quo nos ipsi indigemus. Aut si celeritas recitationis id non patitur, ad singulos choros Sanctorum accedat & reddita illis adoratione duliæ, imploret intercessionem illorum, Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum,

tyrum, Confessorum, Sanctarumq;

Præterea potest se vnire ijsdem Choris Sanctorum, & cum illis laudem decantare, glorificare eorum affectibus, sub diuersis rationibus laudandi, & amandi, prout inter se diuersi sunt.

Sub tempus orationum à Sacerdote dici solitarum, suas quoq; auditor petitiones exponat per Sanctorum intercessionem meritaq;. Quis petitionum ordo esse debeat, inferior idea innuit. Orationes autem Lytaniarum sunt, de remissione, peccatorum, pœnisq; eorum condonandis; de gratijs Ecclesiæ conferendis, pro eius capite, & Principibus populisq; Christianis, & in genere pro viuis & mortuis supplicationes.

JDEA XV.

Rogationum apud Deum.

QVod sæpe non impetremus apud Deum postulata, rationem dat scriptura, quod nesciamus rogare, aut male petamus: si intentione non rectâ; si pertinaciter, si inconsulta voluntate Diuina; si non placato priùs DEO, & si non addu-

ctis meritis Christi & Sanctorum. Sed præeat humilitas & resignatio ad voluntatem Dei, quid & quomodo & quando velit: deinde viam præparet, dolor de peccatis, & assumptio meritorum Christi aut alicuius Sancti.

Ordo rogandi, rerumq; petendarum est.

1. Gloriæ Dei amplificatio, per omnes creaturas, & restauratio, præsertim inter gentes, quæ non cognouerunt DEVM, aut eam extirpant, supprimuntue. Augeatur illa etiam cum diminutione temporalium bonorum, & per laborem nostrum.

2. Ecclesiæ Dei dilatatio & exaltatio, hostium verò hæresumq; extirpatio; infidelium illuminatio, impiorum conuersio, Fidelium ad Perfectionem promotio. Eundem locum ad Orationes obtinent status Principum Ecclesiasticorum.

3. Tertium locum habet Patria, eius incolumitas, perseuerantia in Religione Catholica, pax & variæ necessitates, & status eiusmodi, vt gloria Dei in ea locum habeat, vt bene sit omnibus, qnoad æterna & temporalia bona. Hic locum etiam habent Principes, consiliarij magnates, patriæ

triæ ordines, & exercitus: Pax & bellum.

4. Sui Ordinis statusq; Religiosi conseruatio; Spiritus primigenius, Perfectio, & in eadem perseuerentia. Societatis Spiritꝰ S. Patris, Spiritus Apostolicꝰ, Prouinciæ necessitates & Domus.

5. Priuatæ suæ necessitates, remissionis peccatorum, gratiæ ad salutem, & ad Perfectionem, perseuerantiæ in gratia, augmēti virtutum, felix mors.

6. Communia Fidelibus; Iustificatio peccatorum, & conuersio obstinatorum in malo, iustorum conseruatio, omnium salus æterna.

Mortuorum requies æterna, saltem diminutio pœnarum; præcipue quibus occasio data peccandi, quibus debetur ex obligatione, aut gratitudine, qui carent suffragio, & si quos Deus vult per me eliberari.

Pro impetratione solent adhiberi intercessiones & merita Deo carorum. Sed inprimis.

1. Per Nomina Bonitatis & Misericordiæ Dei petendum.

2. Per Verbi Incarnati dignitatem & merita, singulaq; mysteria vitæ Christi, quod habent Lytaniæ de Sanctis.

5. Per merita, labores, & dolores Beatissimæ Matris Mariæ.

4. Per merita Electorum Dei, in cælo viuentium, Sanctorum.

JDEA XVI.

Examinis Conscientiæ Generalis.

EXercitium hoc per quinque capita dispoſuit S, P. Ignatius, eaq; iam notiſſima: modus autem eadem euoluendi poteſt eſſe varius pro excitanda deuotione; quales modos præclare deſcripſit R. P. Gaſpar Druzbicki in Tribunali conſcientiæ.

§I. 1mus eſt modus ſtatuere ſe in præſentia Christi, & ei ponere ſedem iudiciariā in corde ſuo, & ſic præmiſſa gratiarum-actione pro beneficijs innumerabilibus, ſuis & ſuorum; enarrare actus illius diei, cogitationum, dictorum & factorum, deprecari, excitare dolorem & propoſitum, teſte aula Chriſti aſſiſtente illi, & audientē confeſſata tua.

2dus. Ritu confeſſionis enumerare errata ſua coram Chriſto, dolere & proponere emendationem petendo humiliter abſolutionem.

Confiteor Tibi Domine adüer-

uerſum me omnem iniuſtitiã meam, & tepiditatem, quod initium diei poſuerim in his defectibus &c.

Tertius. Ad quinque vulnera Chriſti. 5. puncta examinis exercendo.

Ad manum dexteram tanquam ad gazophi'acium theſaurorum Dei, donorum gratiæ, gloriæ, & naturæ, gratiarum-actio & gratitudinis explicatio.

Ad ſiniſtram tanquam ad ſolem, & lumen cæli, petitio vt illuminetur conſcientia eiuſq; receſſus, ad dignoſcendas tenebras ſuas.

Ad pedem dextrum tanquam ad ſpeculum, animæ maculæ examinandæ illius diei.

Jn ſiniſtro pede velut balneum ſit contrito cordi per lacrymas, doloremq; lauando.

Jn latere & in corde refugium & defenſio ab irruentibus peccatis, occaſionibuſq; eorum, ac propoſitũ emendationis.

§ II. Examinatio conſcientiæ decurrere poteſt. vel ordine temporis, horarum, & quadrantum: vel ordine ipſarum rerũ, qui ſit huiuſmodi.

1. Cogitationes an otiosæ, an malæ; quæ murmurantes, iracundæ aut gulosæ, & effusæ in talia?

2. Verba, an mordacia, superba, detractoria, mendacia, otiosa, contumeliosa?

3. Opera an nulla, otiosa, & sine intentione, aut cum mala; an indebito modo, contra ius publicum vel domesticum, cum scandalo, vel cum remorsu conscientiæ?

4. Omissiones, per negligentiam, per culpabilem obliuionem; eorum, quæ Deo debebantur, proximo, sibiq; ad fructum spiritualem, meritumq;

5. Aliena peccata, ex meo consilio, aut exemplo, aut admotâ authoritate, ex dissimulatione, fauoreq;: & censura mea, indagatione, manifestatione.

6. Ordo temporis & actionum, ex præscripto, aut rerum necessitate exigente.

7. Requisita actionum, an fuerit intentio, feruor, intensio & perseuerantia?

§ III. Est etiam materia magis generalis, quæ in hoc examen adduci potest interdum, saltem per partes aliquas sed in meditationibus collectionibusque maiorem locum habet.

1. Fontes communiores defectuum ordina-

dinariorum. 1. Inconſideratio & præcipitatio in agendo. 2. Languor mentis diſſolutæ & tepidæ. 3. Inconſtantia. 4. Dilatio de die in diem. 5. Defectus intentionis, aut frigus eiuſdem, & non renouatio: 6. Irreſolutio, timores, amaritudines 7. Delectabilium auiditas & commoditatum. 8. Inhæſio propriæ deſignationi. 9. Excuſatio in malo. 10. Diſſimulatio, 11. Inordinatio vitæ, 12. Fuga confuſionis. 13. Reſpectus & humanæ rationes. 14. Contẽptus minimorum. 15. Amicitiæ humanæ, mollities animi, & debilitas.

2. Reflexio ſuper virtutes acquiſitas, occaſionesq; earum.

3. Super gratias, lumina & veritates à Deo communicatas.

4. Super Officium proprium.

5. Super propoſita præſertim in collectionibus.

6. Super Regulas, & ſuas praxes.

7. Super agenda in vita ſua pro gloria Dei, & proximi ſalute.

IDEA XVII

Victoriarum de tentationibus.

EX multitudine vitiorum ſuam varietatem & numeros accipiunt tentationes,

nec tantùm extra nos hostem patimur Diabolum tentatorem, aut amicos malos, sed etiam semper hostem in sinu portamus, inclinationes in vitia, passiones appetitum, sensualitatis & animalitatis impetus bestiales. Beatus autem est, qui suffert tentationem, & non minus beatus, qui novit se iuuare in periculo cadẽdi, sicut qui mergitur in aquis, si peritiam natandi habeat, felix est.

Ad has victorias, armatura quædam est perpetuo deferenda in pectore, vt hostis locum vulneri non reperiat, sed præparatas vires, & animum.

I. Prima armatura est, deliberatum & firmum habere animum non cedendi vlli suggestioni pertrahenti ad ruinam, aut turpem defectionem à virtute, & veluti apostasiam à Deo. Rationibus vero obfirmare mentem. 1. Quia turpe est desertorem esse, periculosumq; viam susceptam ad æternitatem ex directione Spiritus S. commutare in aliam, & forte laxiorem pro arcta & secura. 2. Quia desertores deserit Deus, & sibi mendaces. 3. Quia post vnam ruinam succedit maior, & ex peccato in aliud maius frequentiores casus, difficiliorq; sui restauratio. 4. Quia ne-

cessa-

cessaria est tentatio, vt victoria exerceatur, & corona gloriæ obtineatur. Non datur præmium tantùm, quantum cælum est cum thesauris suis, nisi legitime certantibus. 5. Quia in occasione tentationum oportet se probare Domino; dicitur enim, qui non est tentatus, non est probatus, Cassian.

II. Secunda armatura est. Non dare audientiam suggestioni, & ad alia conuertere montem totam, distrahereq; occupatione etiam honeste delectabili.

Domine non audio hostem Tuum, me ad defectionem pertrahentem: Tu responde pro me: ego nolo audire, nec admitto.

Ita dum paruus hostis est vincitur contemptu, & alliditur ad petram.

III. Tertia armatura est, persuasum habere, quod possit vincere instantem tentationem cum parato semper adiutorio Dei. Deus cum fidelis sit, non patietur nos tentari supra id, quod possumus. Sola voluntas est necessaria & non segnis.

Nil

Nil poſſum ſine Te Domine, ſed Tecum poſſum omnia. Tu tene meam dexteram, & ſupra petrã pedem meum. Adiuua infirmitatem meã.

IV. Quarta armatura eſt, ſtatim in cõtrarium niti & elicere actum internum contrariæ virtutis, atque exclamare.

Immo vinco me Domine pro honore Tuo; vinco me, meãq; hanc ſenſualitatem, malam beſtiam hanc, atq; ex his animalitatibus mactatis hoſtiam laudis offero. Vinco me & deſtruo in vſum gloriæ Tuæ.

Bene quoq; ſuccedit, ſi quis occupet hoſtem in paruis, & licitis abſtinendo ab illis, vt ad maiora & illicita non progrediatur tentatio. v. G. ſi tentatus gula grauiore, vincat ſe denegando ſibi paruula fruſta.

V. Quinta armatura eſt mortificatio tẽtationi oppoſita coram Deo agonotheta noſtro etiam quælibet illa iuuabit; tanquã clypeus contra ictus.

VI.

VI. Sexta; Manifestatio coram superiore, aut Magistro spirituali, quam diabolus ferre non potest, veluti fur & latro deprehensus, & velut lasciuus procus manifestationem puellæ coram parentibus.

VII. Septima armatura, quæ primum etiam locum habet, est Oratio, veluti asylum fugientis ab hostis conspectu & ictu, sub clypeum magni defensoris. Deus equidem semper paratus cum auxilio opportuno, tamen rogari vult cum submissione & confessione humili infirmitatis.

Domine vim patior responde pro me. Non est tanta fortitudo mea, vt possim solus resistere, nisi tu adiuues me. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

Quis me separabit à charitate Tua, hoc? N non gladius, neq; mors me à Te Deus meus separabit?

Eusebij Nierembergij Soc. I: oratio ad resistendum malis cogitationibus, efficax, in libello de Præsentia Dei. Mi

Mi IESV, quoties me tentatio aliqua pulsauerit, toties benedicam nomen Sanctum Tuum, offeramq; omnes laudes, quas Tibi offerunt in cælo Beati Spiritus, & omnes Sancti, qui in domo Tua habitant; quin & omnium honorum encomia deferam, quæ Tibi deferret malignus spiritus (qui me tentat) si, ob suam superbiam Tuâ non excidisset gratiâ. Cæterum summè doleo, ô mi DEUS, quod Te Saluatorem meum offenderim, eò quod Tu sis id, quod es. Propono autem firmiter me vitam emendaturum.

JDEA XVIII.

Vitæ Reflexæ.

Additur ad iuuandum vsum superiorum Jdearum.

Ne defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat, *Eccli: 14. 14.*

Vita reflexa, est sicut vita in domo speculorum: & est diligens recordatio agendorum, vt nihil per obliuionem aut dissimulationem pereat, ex ijs, quæ ad actionem electa sunt & proposita. Est præsens semper cura sui, velut speculator, qui semper leuat in circuitu oculos suos.

Hostes habet suos, obliuionē ex stupore mentis nasci solitam; effusionem sui in alia disparata; & affectum captiuum in alio genere actionum, impatientem curæ principalium negotiorum.

Actus vitæ Reflexæ,

I. Primus sit; nihil per obliuionem omittere ex ijs, quæ agenda sunt; ne pretiosi temporis etiam fragmenta pereant, non tantùm dies, horæ & quadrantes: cum vita nostra sit, tempus ad lucra æternitatis, Ideò, ne nos particula boni doni prætereat; & boni lucri, curandum est.

Compensare verò omissa saltem compendio, aut æquiualenti actu, quod in se iam compensabile non est.

Contra obliuionem industriæ sunt, 1. Habere signa memorialia oculis subiecta. P. Gaspar Druzbicki oculum pictum in ta-

bellis collocauit per cubiculum suum. 2. rem aliquam non suo loco sed obuio, collocare, vt præsto sit oculorum monitorium. 3. Circa se aliquid habere, quod commoneat reflexionis, vti rosarium certo situ compositum. 4. Campanarum horologiorumq; sonos statutis temporibus, pro monitore faciendorum & pro reflexione constituere. 5. Affigere ista exercitia reflexionis ad occupationes certas & non omissibiles, vti ad quamlibet horam canonicam, ad Lytanias communiter recitari solitas, ad accessum cubiculi, templi, mensæ, & ad similes.

Reflexio ad singulas actiones maiores saltem, statim post illas; signo memoriali non indiget, sed vsu perpetuo.

II. Actus Secūdæ vitæ Reflexæ.

Se nosse, præcipue in defectibilitate 1. habereq; ad numerum suos defectus obstinatiores, 2, habitus ægre vincibiles, & in via Spiritus obices. 3. Vitia in malum inclinantia magis & minus, & ex his, quæ magis damnosa, scandalosa & periculosa sint, connotanda.

Deinde rationes ea vincendi, colligere, & victoriarum statuere tempora, aut obseruare occurrentia. Atq; hoc est considera-

siderare vultum natiuitatis suæ in speculo, quod symbolum est vitæ Reflexæ,

III. Tertius actus.

Eligere & constituere ea exercitia, quæ ad progressum in perfectione, suscipienda sunt, præter ordinaria omnibus.

1. Primum sit Exercitium virtutum Religiosarum, quæ sibi magis necessariæ videbuntur; & qui actus earum, & quibus temporibus eliciendi. Inspici possunt earum ordines & diuersitates in Idea virtutū.

2. Vitiorum extirpatio, defectuum, inclinationum & gustuum temporalium victoriæ, ordine statuto, quæ ex illis priùs, & qua ratione assumentur ad victoriam.

3. Electiones adhibendæ circa agenda pro gloria Dei, pro SS. Patronorum cultu, pro impetratione alicuius necessitatis Spiritualis aut temporalis; pro viuis & defunctis, pro dispositione sui ad mortem; eædemque electiones propositis ad executionem promouendæ, statutis modis, & temporibus agendorum.

IV. Quartus actus

Habere constitutum coordinatumque cursum vitæ & actionū in via Perfectionis, vt norit quomodo debeat tendere, & quantùm

tum proficiat iuxta obligationem Status Religiosi. Id fiet per coordinationem temporum & agendorum simul.

1. Quid mane à surgendo,

2, Quid circa meditationem,

3. Quid circa officij sui occupationes,

4, Quid circa Horas Canonicas,

5. Quid circa Sacrificium Missæ,

6. Quid in meridie, quid vesperi,

7. Quid per menses, quid per hebdomadas exercendum, agendum, aut vincendum sit.

8, Quæ item consuetudines annuæ instituendæ, vti est, celebrare diem vocationis diem SS. Patronorum suorum. Diem mortis cum suis præparationibus, cui locus optimus in Exercitijs S. Ignatij. Dies beneficiorum singularium à Deo acceptorum.

9. Quando exercitia noua assumenda sunt & victoriæ. Et hæc scripto commendare tutius est, ad consulendum memoriæ. Hæc coordinatio bene fit sub exercitijs S. Patris, dum mens bene composita est à distractionibus, & spiritus promptior.

Hinc varietas Reflexionis nascitur, diciturq; Reflexio horaria; Reflexio actionũ, seu post singulas actiones saltem maiores.

Refle-

Reflexio quotidiana, hebdomadaria, menstrua & annua.

Videtur bonum consilium contra obliuionem, alligare exercitium aliquod ad actionem, quæ omitti non potest.

V. Quintus Actus.

Obfirmare animum in æstimandis & seligendis occupationibus sui status, vt spirituales pluris æstimet, & auidius suscipiat, quàm eas, quæ circa externa & temporalia sunt; ideoq; & subterfugiat ea contemptis respectibus.

Quæ autem ex officio externa incumbunt, exerceantur cum diligentia, quantū obedientia & conscientia postulabunt, ita tamen, ut se illis Reflexus Religiosus accommodet, non immergat totum, ne etiam spiritum submergat. Sæpe fieri potest, vt, cum manus sunt in opere externo quod cogitatione non indiget, mens ad sua refugiens, quæ vitæ Reflexæ sunt, in ijs occupetur.

Praxis huius Ideæ sit hæc.

Post examen & cognitionem sui status Spiritualis, coordinare & temporibus distributis applicare Exercitia virtutum, victori-

torias vitiorum & defectuum, aliaque agenda pro spiritus perfectione acquirenda, vti orationes, mortificationes externas & internas, quæ sunt insignes perfectionis promotrices.

Fiat inprimis distributio diei in sua tempora, & in actus quotidie fieri solitos; pariter & distributio hebdomadæ, ac mensis, & si placuerit, anni. Tum his distributis partibus eorum, applicentur & veluti affigantur agenda pro spiritus perfectione.

Sit pro exemplo hoc schema distributionis diurnæ, & applicationis agendorum ad illam.

I. Primum mane.

Præuidenda & prouidenda quomodo fiant omnia, pro toto die; hæc.

Primo, quæ agenda sunt ex officio & obedientia, ex ordine domus, & intentionibus laudabilibus: ne omittantur, & fiant ad Gloriam Dei, ad meritum, ad impetrationem, tum pro defunctis, & juxta matutinas intentiones toti diei præfixas.

Secundo: agenda ad perfectionem procurandam reuocentur in memoriam, quæ sunt, 1. Exercitium virtutis electæ pro tunc. 2. Victoria vitij destinati, aut incli-

nati-

nationis. Reflexionum cura, præsertim horariæ materiâ assumptâ. 4. Si quid iam ex menstruis aut hebdomadarijs exercitijs permutandum est.

Tertio, si placet, constituendus velut genius diei, aut habitus quidam, quo mēs tota occupetur illo die, & eleuetur ad diuina, v. G, die Natiuitatis Christi mente adeat sæpe stabulum, adoret natum Dominum, assistat penes animalia, offerat munuscula, & præsentem se ibi semper faciat, inter negotia ordinaria. Talem mentis genium faciet, aut festiuitas currens, aut Euangelium lectum, aut tempora Aduentus, Quadragesimæ, Paschæ, aut meditatio illius diei, aut deuotio pro cuiusque inuentione. Memoria mortis cui est necessaria multum ad idem conferet.

Hæc præuisa de mane, propositio formanda videntur, & ne omittantur, & vt bene fiant.

II. Vesperi ante somnum.

Post examen conscientiæ, in quo etiam Reflexio diurna expendenda est, Præparatio ad mortem quotidiana, cui iam videbitur competere.

Mortificatio item exterior, & aliquid ex ea pro defunctis.

III. Ad meridiem.

Renouatio intentionum matutinarum fusior.

IV. Ad singulas actiones maiores.

Ante illas intentio ad quid Deo cedant, juxta matutinas intentiones.

Post illas, reflexio an erratum, omissumue; dolor de defectibus, & compensatio saltem per desiderium.

V. Ad Missam, & horas Canonicas, aut Orationem.

Sit v. G. 1. Renouatio compendiosa Intentionum matutinarum, 2, Item quod genus diei suggeret, 3. Et si quid breue recitandum est pro Indulgentiæ lucro,

VI. Jn visitatione SSmi Sacramenti.

1 Ex genio diei deuotio; 2 aliquid recitandum pro Indulgentia lucranda. 3 præter Communionem Spiritualem, & actus ipsius visitationis solitos, de quibus in Idea sua.

VII. Jn spatijs ambulationum de loco in locum.

Sit

Sit v. G. 1. Ex genio diei actus aliquis, 2. Actus virtutis electæ, 3 Victoria vitij aut inclinationis. 4, Eleuatio sui à terrenis.

VIII. Jn aditu cubiculi sui.

1. Adoratio præsentis ibi Dei. 2. Occupationis laborisue oblatio iuxta matutinas intentiones etiam hic renouandas.

IX Jn horarijs diei terminis.

1. Præsentiæ Dei memoria & adoratio tacita. 2. Actus virtutis assumptæ. 3. mens vitandi vitium electum, 3. & quod genius diei refert.

X. Ad Lytanias publicas.

1, Aliquid pro lucro indulgentiarum adde, 2. Deuotio ex genio diei.

Distributio in menses,

Fieri potest, virtutum variarum juxta ordines suos; & religiosus non omittat virtutum, si non omnium, certè variarum acquirere pulchritudinem. Possunt distribui & vitia extirpanda, fragilitatesq; superandæ.

Distributio per hebdomadæ dies.

Diuidere pot est, & virtutum ordines, &

actus

actus varios virtutis vnius præsertim latius patentis, qualis est Amor Dei, Abnegatio, Mortificatio ac similes.

Potest quoq; assumere varias devotiones, ad Passionem Christi, ad vitam eius totam in septem stationes diuidendam. 2. ad Bssimam Virginem & Sanctos.

Alicui placuit distribuere Ordines Beatorum in cælis, vt omnibus honor redderetur, & ipso imitationis eorum desiderio glorificarentur.

Et hæc, ad aliquod exemplum praxis prædictæ posita sunt; cum ea suppositione, quod iam aliqnis sibi concinnauerit exercitia supradicta & affixa temporibus, vtię tiam ordines virtutum, Indulgentiarum catalogos, & deuotionum suarum modos.

JDEA ULTIMA.
Mortis Religiosæ.

VIx poteſt Religioſus non eſſe aptus ſemper bonæ morti, ſed vt etiam pretioſam habeat, ſingulare ſtudium adhibeat. Si in vita ad Perfectionem tendere tenetur, certe in morte ſit perfectiſſimus, Saltem per accuratas præparationes ad mortem ponat ſe in aliquo gradu Perfectionis ſublimiore.

Varia hic ponitur præparatio, in qualibet tamen ſuggeruntur ea, quæ iuuent ad felicem mortem, animam emundent, & exornent actibus virtutum meritiſq;

Prima eſt Generalis, & tempeſtiua, & copioſior, qua fiat homo diſpoſitus ad inſperatam quoq; mortem.

Secunda contractior, pro vſu frequentiore, quæ cõfirmet priorem, aut ſuppleat.

Tertia Præparatio quotidia-

na ad superiores continuandas.

Quarta, ad nuntium mortis, in eiusq; accessu.

PRÆPARATIO I.

Generalis Tempestiua.

Et in casum insperatæ mortis, & ad pleniorem sui comparationem beatæ morti: in qua debent prius impedimenta amoueri bonæ dispositionis: deinde anima emundari, ac ornari in conspectum Iudicis abitura. Ad hoc exponuntur hic.

1. Officia plenæ præparationis.
2. Prouisiones pro bona morte.
3. Memorialia agendorum ad agonem.
4. Ornatus animæ ex apparatu vario, & ex exercitio moriendi.

Optimum locum habet sub exercitijs S. P. Ignatij, sed etiam quando separatione sui à conuersatione omni, commoditatem quis acceperit. Ordinem eius dabunt

bunt

bunt sequentia puncta paragraphorum, quo ipsa posita sunt.

§ I. OFFICIA Præparationis ad mortem.

1. Primum est; & initium præparationis ad mortem emundare conscientiam ab omni macula per pœnitentiam vtramque; Sacramentalem in generali confessione, si fieri potest; & per pœnitentiam virtutem cum satisfactionibus pro culpa & pœna.

Potest eligi dies pœnitentialis huic emundationi & satisfactionibus; quo,

1. Fiat Confessio generalis seu ex tota vita, seu ex eius parte magis indigente.

2. Actus contritionis frequenter eliciatur, adhibita imaginatione, immundæ animæ suæ tanquam vlcerosæ in conspectu Dei, iudicis præsentis.

3. Satisfactionibus seruient: Mortificatio extraordinaria priuata, & forte publica consueta:

Ieiunia, orationes, & victoriæ sui in placitis etiamq; licitis.

Deniq; Indulgentiarum cura, tam quæ Ordini Congregationiq; concessæ sunt, quā quæ personis ipsis, aut applicatæ sunt rebus sacris.

2, Secundum est; præuidere pericula animæ, si quæ interveniant ad mortem duratura; difficultates quoq; felicis mortis euenturas, & ea quæ terrere in agone, vel contristare possint; deinde statim his consulere, etiam aduocato consilio Magistri spiritus.

3. Tertium Officium; facilitare sibi mortem aliquibus industrijs, vt infra ponũtur.

4. Quartum; Prouisiones aliquas mortis comparare & conseruare scripto, vel alio modo.

Quintum; Memorialia agendorum, curandorumq; à se vel ab alijs, conscripta habere.

6. Sextum: exornare animã actibus virtutum & affectuum non humilibus.

Quæ in sequentibus paragraphis afferuntur & explicantur.

§ II. PROVISIONES mortis.

Ima Prouisio.

Habere præuisa hæc, spectatis suis habitibus, infirmitatibus, statu conscientiæ ordinario & antiquo; an aliquid periculũ salutis in morte afferre possit, quod quidem procul à Religioso abesse solet; quid

terre

terrere in agone, quid contristare, & quid solatium afferre queat.

Mortale vel vnum periculum facit, si frigida tantùm pœnitentia dilutum est, aut restitutione innodatum. Multa venialia terrent & contristant. Communia contristationis argumenta esse solent; vita in spiritu negligens, effusa in sensualitates, incuria Perfectionis acquirendæ, cum teneatur Religiosus sub peccato tendere ad perfectionem juxta D. Th: 22, q. 184. votorum larga, non sincera obseruantia, omissiones occasionum agendi pro Gloria Dei; aut pro salute proximorum.

Solatio sunt in morte, perseuerantia in seruitio Dei, labores & vires consumptæ in obsequijs Ordinis, perpessio afflictionum & amaritudinum cum patientia. Actus item heroici pro gloria Dei, qui pretiosam reddunt mortem; & acceptatio voluntatis Diuinæ generosa, præsertim mortem volentis, eamque morbis acerbis comitatam, & funestam.

2. Secunda Prouisio.

Mediorum facilitandæ mortis ad tolerandum, vt eius acerbitas amoueatur.

Prima est, ad hoc conscientiæ abstersæ

per pœnitentiam libertas, etiam dubijs a-
mo is.

Frequens memoria mortis, & mentis ad eam applicatio in occasionibus dolorũ, & corporis, compositione agonizantibus consueta. Dies quoq; mortis certus in anno celebratur cum desiderio cæli.

3. Habere actus pietatis coordinatos pro agone.

4. Exercitium moriendi religiose, quale infra ponitur, in vsu habere, saltem compendio collectum.

5. Et precibus, & mortificationibus promereri bonã mortem.

3. Tertia Prouisio.

Colligere motiua non tantum non timendæ; sed desiderandæ etiam mortis. 1. vt amplius non offendatur Deus, 2. vt quamprimum felicitas vltima possideatur; visio Dei & Christi, Sanctorumque Societas. 3, vt per mortem securus sit de gratia Dei non amittenda amplius, 4. vt ab hoc luteo carcere absoluatur, atq; à fomite peccati semper intentante periculum. 5. vt voluntatẽ Dei decretaq; adimpleat, & gustus eius beneplaciti. 6, vt felix deinceps viuat, & diues sine metu, & sine termino beatitudinis. Acce-

Accepto & amplector mortem, quia ex decreto voluntateq; Dei mihi ordinatam. Educ me Domine de hoc lacu miseriæ, & de luto fæcis, vt ampliùs non possim Te offendere, & hostis fieri Tuus; vt eluctor à pondere naturæ in malum ruentis, & à fomite peccati gehennam in me accēdente, iamq; periculis absoluar æternis.

Moriar Domine, vt videam Te possideamque: ut videam Pretiosissimam Dominam meam, Reginam cæli; ut in conspectum veniam Sanctorum carorum meorum, qui expectāt ad portam mortis. Moriar, & felix sine metu viuam, diues viuam ex thesauris Bonitatis Diuinæ.

Cupio dissolui, & esse cum JESU meo, & Sanctis caris meis in æternum.

4. Quarta Prouisio.

Intentiones mortis coordinatas habere, quibus acceptanda sit,

1 Vt decreto diuino de morte, & voluntati de circumstantijs eius satisfiat.

2. Vt ad finem suum vltimum deueniat, ad Dei visionē & possessionem in beatitudine æterna.

3, Vt imitetur Christum morientem, Beatissimam & Sanctos.

4, Vt reddat fructum passioni & morti Christi anima sua saluteq; æterna.

5 Vt morte sua quam sponte & ex voluntate Dei subit, tributa sua Deo reddat: 1. Laudem, gloriam, adorationem, 2. Gratias & gratitudinem pro beneficijs. 3, Satisfactionem pro peccatis, & compensationem pro defraudata gloria Dei, amore & obsequio. 4. Gustus beneplacito Dei & eius Perfectionibus contentandis,

6 Vt mereatur ipsam felicitatem mortis, Sacramentorum vsum & capacitatē mentis ad actus pietatis, atq; etiam impetret per merita Christi; 7,

7. Vt iuuet animas Purgatorij, quibus donet & applicet dolores suos mortales & amaritudines.

8 Vt pœnas temporales pro peccatis persoluat.

5. Quinta Prouisio.

Constituere sibi anniuersarium diem mortis in anno, proximum aliquem natali suo, in quo exercitium moriendi peragatur; sacrum habeatur pro se & agone suo, nam pro mortuo, dum vivit, prohibitum est; orationibus indulgeatur, mortificationibus, & petitionibus eorum, quæ felici morti sunt necessaria.

6. Sexta Prouisio.

Actuum deuotionis ante & sub agone, sed maxime ad IESVM morientem. Actuũ virtutum heroicarũ, quos prouisos & præparatos dispositor possit commemorare.

7. Septima Prouisio.

Armaturæ contra insultus Dæmonis; saltem generalia arma habenda: vti, nolle audire, aut accedere ad vllam disputationem, aut alloquium; dicere verò non esse modo tempus, vt aliud agatur, nisi vt ametur DEVS, colatur, eius gratia quæratur; virtutum actibus honoretur: statimq; actus amoris Dei eliciatur.

§ III. MEMORIALIA agendorum in morte.

Ea conſcribenda eſſent, quæ ipſe agere, vel pro ſe fieri optet, potiſſimum actꝰ pietatis.

1. Patronum mortis electum habere ad quem recurrat.

2. Ad Chriſtum agoniſantem, cui ſæpe ſua mors commendetur, affectus, & petitiones conſcripta habere, oſcula vulnerum, cum vnione mortis & agonis ſui cũ agone Chriſti.

3. Exercitium moriendi cum ſuis actibus in promptu ſit, vt ſibi legatur, & ab illo eliciatur.

4. Sæpe actus amoris Dei fiat, ex Jdea illius, ſpei, conformitatis cum voluntate Dei, Deſiderij ſupernorum &c.

5. Sacramentorum vſus, pœnitentiæ & Euchariſtiæ; petendum vero viaticum & extrema vnctio. Deſiderium autem & voluntas ſumendi Sacramenta ac inprimis pœnitentiæ, facit aptum hominem abſolutioni in ſubitaneis caſibus, ne reformidet Sacerdos accurrens.

6. Miſſæ impetrandæ pro felici agone.

7. Viſitationes Vener: Sacramenti nomine.

mine ægri, & petitiones illi necessariorum, cum transmissione affectuum infirmi.

8. Quæ secum recitandæ preces, aut actus commemorandi, habeantur in scripto.

9. Quæ sibi relegenda sint; inter quæ sit Passio Domini juxta 4. Euangelia cōbinata, & affectus illi immisti.

10. Velle sibi semper præsto esse aquam benedictam, effigiem Crucifixi, & candelam benedictam.

11. Mos religiosorum est, nolle pretiosas medicinas, sumere verò amaras, & acerbas: deprecari omnes, & primo superiores, aut per seipsum, aut per alterum; excusare se ædificationi, accusando suas impatientias in doloribus.

§IV. APPARATVS ornandæ animæ.

Vt placeat in conspectu Principis & Iudicis sui, ex varijs comparari potest thesauris.

1. Ex frequenti communione Spirituali in die, & Sacramentali quandocunque potest.

2. Ex vsu Sacramentorum frequenti.

3. Ex actibus virtutum, quarum actus & ca-

& catalogi in Idea sua supra ponuntur.

4. Ex affectibus, vt in Idea sua recensentur.

5. Ex imitatione mortis Sanctorum, præsertim Patronorum, per desiderium & aliquam æmulationem sanctam.

6. Ex Testamento spirituali, cuius exemplum est in Exercitio moriendi.

7. Ex frequenti Amoris in Deum exercitio, in quem mors ipsa conuertenda seruiet Idea viarum Amoris Dei.

8. Ex desiderio supernorum & mortis, quod est in Prouisione 3tia.

9. Ex intentionibus mortis suscipiendæ, quæ sunt in Prouisione 4ta.

10. Conferent multum ad ornatum animæ, labores iusti, mortificationes orationes, victoriæ sui, charitates in proximũ, ad impetrandam & promerendã felicem mortem, ac perfectè præparandam.

11. In exercitio moriendi quod sequitur, colligitur totius mundi apparatus vt ex toto illo ornamenta animæ morituræ cõparentur. Homini enim & ad contemplationem, & ad fructum ex eo colligendũ propositus est. Idem autem exercitium fuse positum, compendio collectum subiũgitur paulo infra.

Exercitium religiosè moriendi

Ad tempestiuam præparationem.

Per hoc poteſt ſe ponere religioſus in aliquo altiore gradu Perfectionis per actus elicitos; ſi excitatis affectibus & prout res poſtulat, applicatis, eleuentur.

Ordo exercitij & imaginatio hæc eſt. Trium locorum terminos obit anima, in quibus vniuerſum totum repræſentatur. Locum Creationis, locum Redemptionis & locum tranſmigrationis limitaneum vitæ huius & æternæ. In quolibet illorum exercentur actus virtutum & affectus pietatis, qui ſe offerunt ex reflexione ad vitā tranſactam, omiſſioneſq; eius, ad beatitudinem æternam, & ad fructum capiendum, ornatumq; animæ ex toto vniuerſo colligendum. Quis enim hæc magis debeat contemplari, & inde laudare Deum, quam homo Religioſus, meditationibus & ſcientijs exercitatus, meritaq; colligere?

In loco Creationis inuenitur.

1. Deus Trinus & vnus, Principium & finis. eiuſque Perfectiones in ipſo agnoſcēdæ, & in creaturis ſe manifeſtantes.

Angeli in primo ſtatu naturæ, & in ſtatu æternitatis.

3. Be-

3. Beatissima Virgo, primogenita Creaturarum purarum.

4. Genus humanum, Primi parentes, Imago Dei, anima, corpus, Limus, Peccatum originale.

Ego N. indiuiduum vltimum.

5. Creaturæ irrationales per suos gradus distributæ,

Earum genera, species, indiuidua. Multitudines, Magnitudines, Atomi, Varietates.

6. Tempus, eius sæcula, anni, menses, dies, horæ, momenta.

Jn loco Redemptionis,

qui est in monte Caluariæ occurrunt ad affectus

1. Redemptor Dominus IESVS, Verbum Incarnatum, Sapientia Increata & incarnata.

Eius Perfectiones Diuinæ & Theandricæ.

Eius vita in mundo per decem stationes distincta.

Passio quæ etiam decem stationibus diuidi potest.

Præsentia in Venerabili Sacramento.

Eiusdem merita, virtutes, affectus, & Intentiones,

2. Bea-

2. Beatissima Virgo, Mater.
Eius dotes, Prærogatiuæ, cultus hyperduliæ & eleuatio supra creaturas omnes,
3. Electi Dei ad Gloriam.
Eorum virtutes, merita, exempla & imitatio.
4. Ecclesia sponsa, in ea vero]
Nos filij, omnes Fideles.
Sacramenta,
Certa salus.
4. Ordines Sancti Religiosorum.
Societas Triumphans & militans.
Vocatio, vota Religiosa, virtutes.
5. Extra Ecclesiam, populi infideles,
2. Desertores Ecclesiæ; aut etiam vocationis.

In loco Transmigrationis,

Limen inter vitam temporalem & æternam.
1. Decretum mortis vniuersale
2. Transitus ipse per lineam vltimam, seu mors.
Mortis desiderandæ motiua & Intentiones.
Qualitates seu modi eius exornandæ.
Mori per patientiam dolorum & aliquam sui Crucifixionem.
Mori per affectuum Martyrij,

mori

Mori per amorem & ex amore Dei & Christi.
Mori imitatione Christi.
Mori affectu Humilitatis, Perfectionis Religiosæ.
3. Consequentia ad mortem.
Cadauer, putredo, vermes.
Purgatorium, in eoq;
Pœna sensus, & temporalis damni.
Actus animarum.
Amor Dei, & desiderium videndi,
Patientia in pœnis,
Satisfactio Iustitiæ Diuinæ.
Sociæ animæ aliorum,
4. Infernus damnatorum. Eius pœnæ, æternitas, Ignis &c.
5. Cælum, Patria beatorum, eorum ordines, & gaudia.
In his locorum trium stationibus, quod homo debet Deo exhibebit, laudem amorem, reuerentiam & alia debita sua, quæ forte non tam latè per vitæ annos præstita sunt, saltem non ex toto uniuerso, ex quo DEVS illas pensiones habere debet. Deinde occasiones copiosissimæ sese offerent virtutum complurium eliciendarum, atq; eleuandi spiritum per actus heroicos, & ponendi se in altiore gradu perfectionis

ante mortem. In ultima statione conditur testamentum ex actibus virtutum ex dispositione rerum sibi liberarum, & acceptatione eorum quæ mortem comitantur.

Poterit seruire eadem vniuersi contẽplatio, & ad alias Ideas Pietatis Religiosæ, ad mentem contemplatione aliqua occupandam, ad meditationesq; supplendas, sicut hoc loco accommodatur præparationi ad mortem.

Praxis Exercitij moriendi.

ECce jam ô anima mea viam ingrediar vniuersæ carnis, & descendam in corruptionem, die, hora, mihi à Deo præfinitis. Ibo in patriam exul filius Euæ, de lacrymarum valle, vbi dolor & labor habitant, & afflictio spiritus. Ibo de cãpo præliorum in domum æternitatis & pacis: de mari turbulento in littus beatum, post tempestates

& procellas, post prædones insidiantes thesauro meo, saluti æternæ.

Aq; inprimis decurram vniuersum, collecturus ex eo ornamenta ad pretiosæ mortis meæ apparatum: tu vero ô anima mea, per tuas potentias & facultates ex vniuerso reddas Deo quidquid debes; cum in cōspectu tuo posuerit creaturarū vniuersitatē? vt ex illis eum agnosceres, laudares cum illis, & pro illis benediceres, amaresque.

In loco creationis, I. Jnprimis pono me in loco Creationis meæ, in quo ex statu possibilitatis eductus sum vt existerem, viuerem q; in gradu Creaturæ rationalis, beneficio Prouidentiæ Diuinæ.

Vbi, Te primum reperio, & vltimum, prin-

principium & finem rerum omniũ ô DEVS meus, immense, infinite, æterne, & incommutabilis Domine, cuius sapientiâ cõditi sumus, & Prouidentiâ gubernamur. *Deus* Hic te moriturus ego, primùm adoro cũ toto vniuerso, in toto illo, & in singulis eius partibus, atomisq; rerum intimè præsentem, omnia spectantem, omni-scium, omnipotentem & omnia portantem; tamq; profundè adoro, quantùm descendo à Tua dignitate in vilitates meas profundissimas.

Adoro, veneror, & glorifico ô Interminatum Essentiæ pelagus, ipsum esse superessentiale, omnium rerum, omnium magnitudinum, multitudinum, perfectionumq; infinitate, infinities maius; felicissimum sibi & omni creaturæ. Talem Te hic Domine adoro; detestor autem omne fatum, casum, insipientiam hominum ad ea confugientiũ, à decretis Tuis æternis & incommutabilibus.

Adoro & benedico omnes Perfectiones Tuas, & singulas, quas non comprehendo; atq; illis gustus omnes & contentationes reddo, gaudeoq; quod *Dei Perfectiones.*

vni-

vniuersum illis correspondeat; quod ita moueatur & persistat, sicut illæ volunt & exigunt; quod adimpleantur earum exigentiæ & placita, nimirum Sapientiæ, Omnipotentiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Bonitatis, Sanctitatis Dominijq; Tui. O possim, vt desidero, singulis his correspondere meis affectibus, tota mente & viribus, tam in ijs, quæ sine me fiunt, quam quæ libero arbitrio meo subiecta sunt. Fiat satis de me Sanctissimo Dominio Tuo destructione mei & annihilatione, si ea placet tanquam Domino meo absolutissimo. Fiat satis Misericordiæ Bonitatiq; Tuæ saluatione mea; Iustitiæ, castigatione mea & aduersitatibus. Quidquid autem per vitam meam honoris, amoris & obsequij Tui defraudaui, reliquum vitæ, spirationisq; meæ, ac mortem ipsam in eorum compensationem conuerto, atq; nunc millies & infinities Te laudo, glorifico mi DEVS, & benedico ab hinc in æternum & ultra: & quidquid creatura debet Creatori, ampliùs quam filius Patri suo, aut opus factori suo, totum hoc, ex me meoq; esse & posse, atque ex

meo

meo velle, colligo & reddo in tributum Majestatis Tuæ.

In hoc loco Creationis primas creaturas à Te Domine adductas ad statum existentiæ, Angelos reperio, fideles alios Tuo honori, & alios rebelles; & pugnātibus pro gloria Tua adhæreo pugnoque cum militia honoris Tui contra desertores eiusdem; illorum affectibus, ita diuersis, prout & ipsi diuersi sunt in genere suo, Te adoro, honoro, exalto, & simul pro ipsis rebellibus, quorum vices suppleo, de me ipso toto, in Te benedicendo; ac præsertim illius Angeli, cuius locum in cælo mihi destinasti; & reddo quæ ille rediturus erat, extendens hanc meam vicem in totam æternitatem, & in modos gloriæ Tuæ conformes dignitati Angelicæ. Quod idem facio magis in gratiarum-actionem pro S. Angelo Custode mihi dato, cum quo mea omnia opera vnio semper, & desidero paribus affectibus & votis Te laudare & amare singulis momentis vitæ meæ, vsque in totam æternitatem. *Angeli.*

Reperio quoq; eo loco Primogenitam creaturarum Virginem & *Beatissima Virgo*

Matrem

Matrem Vnigeniti Dei, Christi mei, ante sæcula ordinatam, nulla tactam labe peccati, eleuatam supra omnẽ puram creaturam, ad excellentiam Reginæ Angelorum, atq; Sanctorum omnium. Cum illa & pro illa eminentissimis eius affectibus gloriam, honorem, & amorem Tibi Deus noster retribuo, ita sicut per illam glorificari, laudari, & amari voluisti. Jllius immacularis virtutum actibus contentas reddo sanctissimas Perfectiones Tuas.

Reperio isthic nidum meum primum, nihilum meum, ex quo ad participationem essendi & existendi eductus sum; atq; in illud totus procido ad abijssalem adorationem & profundissimã venerationem Tibi Devs, prout es Principium & finis omnium, reddendam.

Genus humanum

Posuisti me in genere humano, indiuiduum, cuius in tota multitudine nullus numerus & nulla dignitas, tamen mirabilis facta est scientia Tua ex me: nam in me vniuersum mundum collegisti, imaginem Tuam limo meo impressisti, quâ mea anima dignior esset inter creaturas capaxq;

paxq; participationis alicuius diuinæ; & sub qua omnes potentiæ, passiones, facultates, & sensus ordinem tenerent suum, lege æternâ omnia componente. Detestor *Primi* Primorum Parentum rapinā honoris Tui, *mi* ex qua sum & ego peccator factus, ante-*Parẽ* quam natus. Veneror autem & amo ima-*tes,* ginem Tuam in me, esto benedictus pro hoc signaculo vultus Tui, & pro hac repositione mei in creaturis rationalibus, Tui capacibus, Tuæ beatæ felicitatis, amoris & obsequij. O quam cupio genus omne meum saluari Tuasq; has imagines in cælum comportari, ne infernalibus ignibus exurantur! O quam gaudeo de genere meo, quod dignitati Tuæ per hypostaticā vnionem in Verbo Incarnato coniunxisti, Et laudabilis & gloriosus, & superexaltatus esto in sæcula.

Sed & omnia, quæ intra me *Con-* sunt, benedicite Domino, quæ *tenta* nunc adduco ad scabellum pedum Tuorū *homi* Creator magne, animam & corpus me-*nis,* um, eorumq; bona â Te accepta per manus naturæ humanæ; adduco omnes potentias, intellectum, voluntatem & memoriam, omnes appetitus rationales & sen-

siti-

ſitiuos, ſenſus internos & externos, facultates locutiuam, loco-motiuam vegetatiuam, ſomniatiuam; diſpoſitiones item omnes complexionis, virium, morborum, dolorum, aduerſitatum & proſperitatum; atq; in his & per hæc, & pro his omnibꝰ exequor intentiones creationis meæ, in quas, & in quos fines ea mihi collata ſũt, Omnia hæc conuerto in tributa mea perpetua, Creatori meo, in honorem & benedictionem, in amorem Tui, gratitudinẽ & obſequium. Eorum vſum dirigo ad guſtum omnem ſanctiſſimi beneplaciti Tui. Si quibus me etiam carere volueris, & per priuationem illorum laudari, per amentiam, per deriſum & ſtultitiam; ſine oculo, pede, manu, valetudine; in doloribus, caſibus, lapſibus, periculis, fiat guſtus voluntatis Tuæ. Doleo malum vſum illorũ in vita mea reuoco, corrigo, & compenſo vſq; ad mortem.

Liberum arbitriũ Tribuiſti etiam mihi liberaliſſime Creator liberum arbitriũ, vt filiali libertate agerem in conſpectu Tuo inter creaturas rationales. Reddo, dono & dedico Tibi eam libertatem arbitrij, me vero determino & neceſſito ad Tibi ſoli ſerui-

seruiendum, ad Te solum amandum, ad Te per ignem & aquam, prout coram me posita sunt, tendendum, eluctandum, ad pro Te pereundum, & Tibi inhærendū in perpetuum,

Jmmanent etiam mihi Domine vulnera peccati originalis, Pondus naturæ & Fomes peccati; illud me deorsum impellit & obruit infirmitatibus limi mei, quominus euolet spiritus meus,& cor meum ad Te: hic verò accendit rotam natiuitatis meæ flammâ gehennæ: pericula mea æterna mecum porto: sed ea vincere volo,ne deseram amorem Tui & obsequium. Tu vero Domine adiuua infirmitatem meam; extingue hæc incendia rore gratiarū, vsq; ad mortem,prout in Te solo spem omnis victoriæ depono, nihil mihi, meisq; conatibus ac viribus attribuo. Itaq; in toto meo naturali esse, & ex toto me, atq; ex hac admirabili spiritus mei cum limo cōiugatione, animæ immortalis cum mortali corpore accordatione, & ex singulis atomis meis, Te admiror, adoro, laudo & benedico Dominum Creatorem meum,

Fomes peccati & pondꝰ natura

Esse naturale

euiscero me in amorem Tui & obsequiū, atq; in omnes, quas de me habuisti, intentiones creationis meæ. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Vniuersitas creaturarum. Posuisti quoq; Domine in conspectu meo tantam creaturarum multitudinem, genere & numero prope infinitè variam; proinde ex omnibus agnosco Te Domine, & per gradus earum, amore, laude, adoratione ascendo ad Te; per earum essentias, varietates, virtutes, combinationes, subordinationes, & per illam obedientialem subiectionem, vt mihi omniq; homini ex iussu Tuo deseruirent, etiamq; improbis hostibus Tuit, cum violentia sua, destructione, cæde & morte viuentium. Enarro cum illis gloriam Tuam, cum cælis, terra, mari & omnibus abijssis eorumq; contentis. Benedicite & superexaltate Dominum in sæcula sæculorum. O possim sicut paruus mūdus sum, ita colligere omnium creaturarum motus & respectus in Te, vt illis singularibus & singulis laudem Te, glorificem, & in amorem conuersis complectar

Te! ô & destruar pro Te, sicut illæ pro me obediētiali promptitudine destruuntur! Agnosco imperceptibilem liberalitatem Tuam in vsum humanum, non ad necessitatem tantum, & commoditates, sed etiā ad delicias; & eo vsu laudabili glorificari potes; sed ego abnego vsum creaturarum liberum, propter Te Domine egenus & pauper sum. Exuo omnem amorem & vsum sæculi, & creaturarum, nam & hic vsus abnegationis & exspoliationis, à Christo introductus est; Contemno omnia terrena totumq; mundum, pro vno amore Tui. Quod autem terram viuendo contingere necesse sit, & viuere eius adminiculo, id in purum obsequium gloriæ Tuæ conuerto.

Vsus creaturarum

Tempus

Tempus denique reperio, in quo, & ad quod conditus sum, quo cursus mundi à priori ad posterius peragitur, cuius demum finis erit æternitas mea. O quantus minutorum, si puluere mensurentur, mons erit, ex otio, offensis, verbis actibusq; otiosis! Pudet ô anima mea tanti damni, elapsæ vitæ, sine honore Dei, meritoq; meo. Sed reuoco omnia elapsa momenta & successura in simul, il-

lisq; singulis laudo, glorifico & benedico DEVM meum.

II. Jam ex loco Creationis procedo ad stationem Redemptionis meæ, In illo perditus sum, per lignum inobedientiæ, hic inventus à primis parētibus per lignum Crucis Christi. Primum hic reperio Redemptorem meum Dominū IESVM; cui in omnem adorationem affectuosissimam assurgo, & procido profundissime; eleuo autem fidem meam vsque ad profusionem sanguinis & vitæ meæ, spem meam, & charitatem omnis beneuolentiæ, & appretiationis, & concupiscentiæ. Adoro Te Domine IESV per omnes stationes vitæ Tuæ, & per omnes stationes admirandæ Passionis Tuæ. Fac mi IESV vt hic labor Tuus in me nō sit cassus, sed vt reddam fructum illi salutis meæ. Adoro & glorifico omnes Perfectiones Tuas diuinas & Theandricas omnesq; excellentias. Adoro Sanctissimam præsentiam Tuam in Sacramento altaris, & ad omnia templa transmitto salutationem & venerationem, vbi nobiscum post parietem nostrum, & post cancellos, specierum

In loco Redemptionis

Christus Redemptor

cierum

cierum Sacramentalium habitas. O valeam cor meum amore Tui inflammatum, vbiq; ponere pro lampade ardente, & ita Tibi semper assistere, quod suppleo per desideria mea, omnibus horis & momentis Te adeundi. Reliquisti nobis salutem æternam, & imitationem Tui, non imitationem dignitatis, sed diminutionis, humilitatis & destructionis pro honore Dei; Extendo & ego me, ad eam imitationem virtutum & intentionum Tuarum; Da bone IESV, mori Tecum in Cruce & pro Gloria Tua exinaniri. Reliquisti & merita, virtutes, labores, passionem & mortem, dignitates Tuas & ius ad ea tanquam successionem ditissimam; estoq; pro his benedictus in æternum, ego verò super-induo me his iam morti accessurus, vt illis me protegam à vultu iræ Tuæ in iudicio. Quidquid autem in reliqua vita ago, vnio cum meritis, virtutibus, & affectibus Tuis Domine IESV.

Beatissima Christi mei Parens & Virgo, eo loco facta est alma Redemptoris Mater, Regina verò non creaturarum inferiorum tantum, sed & Angelorum Sanctorumq; omnium; per quam *Beatissima Virgo*

quam accepimus plenitudinem gratiarum. Sicut honorata es à Filio, dilecta à Deo Patre, & Spiritu Sancto, ita gratulor id, & gaudeo de honore Tuo; veneror & benedico Te benedictam inter mulieres, reddoq; omnia tributa Tibi debita ex cultu hyperduliæ, vti dominæ heredi meæ. Esto Patrona mihi in hora mortis meæ, & IESVM benedictum fructum ventris Tui post hoc exilium ostende.

Beati Cæli-tes

Hic & vos Beatorum agmina gloriosa, cælo transcripta estis, vos gloria & corona Passi Domini JESV, & fructus redemptionis, atq; Gratiæ per Christum. Omnia vobis cultus Duliæ debita persoluo, venerationem laudem, amorem, imitationem, per quam deosculor vestigia pedum vestrorum in via perfectionis, in martyriorum patientia, in mortibus vestris pro honore Dei; Sancti Patriarchæ, Prophetæ Apostoli, Beatissimi Martyres, Confessores, Anachoretæ, gloriosæ Virgines, Viduæ, Coniugatæ. iuuate decertantem in agone hoc mortali, & defendite me contra hostes meos.

Inuenio eodem loco Redē-

ptio-

ptionis Ecclesiam Sanctam, Matrem mihi datam, vnicam Christi spōsam, cuius quod me filium feceris Domine, ad eius thesauros admiseris, tempora & natiuitatem meam aptaueris, ut non caderem extra Ecclesiam Tuam, desidero Te condigne, & ad magnitudinem beneficij laudare & amare cum uniuersa Ecclesia; & amo amore sponsæ Tuæ, eoq; respectu in vim gratitudinis, in totam æternitatem hocce desiderium meū extendo. Benedico Te ex omnibus modis salutis acquirendæ in Ecclesia repositis, ex omnibus Sacramentorum gratijs & efficacijs; ex omnibus donis Spiritus Sancti, gratijs sufficientibus & efficacibus, & distributionibus earum; ex præordinationibus hominū ad vitam æternam; ex ipsis quoq; Hierarchiæ sanctæ coordinationibus, Apostolorum, Discipulorum, Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum, Fidelium, eorumq; dignitatibus, laboribus pro gloria Dei, gratijs gratis datis illorum, esto benedictus in æternum, & laudabilis & gloriosus in sæcula, quod me participem eorum reddere dignatus sis.

Ordines Religiosi

Jn Ecclesia locum accepi inter

ter Religiosos Ordines, vocatus ad lucrandam Perfectionem Christianam mihi, alijsq; Et isthic pono me in singulis sacris Ordinibus Apostolicis, mendicātibus, Monasticis, Anachoreticis, Actiuis & comtemplatiuis, in militaribus, ac circa corporalia pauperum laborantibus;atq; pro illorum varietate, meritis, seruitiorum diuersitate, Tibi affero Gratiarum-actiones & benedictiones, quod sponsam Ecclesiam assistentem Tibi in vestitu deaurato tanta circumdederis varietate, quod tot Ideas Perfectionis acquirendæ per gloriosos Fundatores prouideris. Assumo omnium Religionum vota, virtutes & studia, Perfectionis merita & gratias vocationum, ijsq; Domine Te laudo, adoro, benedico, sanctifico nomen Tuum, cupioq; omnia hæc imitari & æmulari optima charisma a ad Te amandum & exaltandum reliquâ vita mea, & in morte mea.

Societas IESV. Pro Societate Filij IESV, ad quam me vocasti Domine, ipsi Beati in cælo Tibi gratulentur, totaq; Societas triumphans & militans Te benedicat, cuius gratitudinem assumo, extendoq; me meosq; af-

fectus

fectus per omnes Instituti regulas & statuta, per vota omnium graduum Societatis, per virtutes illi appropriatas, per omnia studia Perfectionis propriæ & alienæ, per omnia obsequia animarum Apostolica: extendo inquam me totum, desideriaq; omnia mea, vt in omnibus his, & per hæc omnia, maiorem semper & maiorem gloriam Tibi Domine retribuam, amorem ac benedictionem, & gratiarum actionem, pro hac Societate, & pro mea vocatione, pro gratijs huius vocationis, auxilijs, & prouidentijs, proq; aduersitatibus & hostilitatibus, quibus illam Prouidentia Tua exercet & promouet; itemq; pro fundatoribus, benefactoribus, amicis & inimicis, pro socijs vocationis huius Fratribus meis, benedictio & gratiarũ-actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula, sæculorum Amen. Tibi quoq; ipsi ô Mater & Domina mea Societas quid retribuam pro admissione mei, pro impensis & laboribus Superiorum, pro aptissimis medijs ad Perfectionẽ, cui semper sapientissime providetur. Benedic Domine JESV hanc minimam Societatem, auge in virtutibus & viris Apostolicis, confirma in persecutionibus, & custo-

di in hoſtilitatibus, vt in patientia forti, colligat de ſpinis roſas ad ſolam Gloriam Tuam maiorem coronandam.

Fideles in Ecclesia Cum Fidelibus Eccleſiæ filijs habeo communionem gratiarum, meritorum, Sacramentorumq; omneſq; propter amorem Dei, amo, & ita amo propter Te Domine; vt paratus ſim pro illorum ſalute mori, ſi id velle dignareris. Tu Domine cuſtodi Ouile Tuum, prouide condignos paſtores; ſtrenuos & Apoſtolicos Operarios, vt nulla ovis cedat lupis infernalibus. Quidquid ego defeci in his laboribus circa ouile Tuum, parce peccatis & infirmitatibus meis.

Desertores Ecclesiæ &c. Deſidero Te amare & laudare cum Eccleſia Sancta vniuerſa illius affectus ardentes aſſumendo; ſed etiam deſidero ſupplere pro illis, qui Eccleſiam deſerunt, aut in ea ſaluandi non ſunt; item pro ijs, qui vocationes ſuas abijciunt primas, vias ſaluti illorum & perfectioni præordinatas derelinquunt, auerſis oculis & manibus ab aratro Chriſti; ideoq; multiplico affectus meos in amore, laude, in timore Tuo, Domine, & obſequio. Qui non vis mortem peccatoris, dignare prouidere illis

Docto-

Doctores, & Magistros, qui eos reducant ad Te, vt Domus illa Tua magna impleatur conuiuis, in nuptijs Filij Regis, quas Pater æternus facit nunquam cessaturas.

Respectant me quoq; Cælum, terra, & Infernus. Terræ equidem debeo corpus meum & reddo; quod me portauerit pondus inutile, pro illa laudo Creatorem eius. Cælum patria mea, secundum spē meam, ô quando aperies mihi portam illam augustam? ô quando aduenies regnum Dei, quod vnice desidero? ô contemno vniuersam terram præ desiderio supernorum. *Cælū. Terra Infernus.*

Contra te Inferne stō in spe firma, meritis & passione Domini mei JESV suffulta; & laudo inprimis DEVM ex te quod seruias eius Iustitiæ sanctissimæ, sed & blasphemias tuas desidero compensare contrarijs affectibus, Deumq; amare pro singulis damnatis, amore non tantum correspondente malitijs illorum, sed etiam superante. Laudo, amo benedico Te iustum Iudicem: quoniam Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, dignusq;, vt creaturæ, pro Te destruantur.

III.

In loco transmigrationis. III. Vltimò ſiſto me in loco transſmigrationis meæ, ſeu in confinio ipſo vitæ & mortis, & vltimo limine, in quo depono caput meum ſub decretum mortis. quod profundiſſimè adoro, in morte ſubeunda eiuſq; circumſtantijs omnibus, cuius falci caput meum, pro arbitrio Domini mei, inclino.

Teſtamentum Religioſũ. Sed inprimis in hoc limine Teſtamentum Religioſum condo, quo deſideria mea intentioneſq;,diſpoſitionem ſtatumq; meum exponam, notaq; ea faciam æternitati quam expecto.

Ego N. Chriſti Redemptoris libertus, filius Eccleſiæ Catholicæ fidelis, minimus autem Societatis JESU ſocius, eũ me in hoc teſtamento conſtituo, quem me eſſe in ipſo aditu primo æternitatis eſſe deſidero, nempe, vt ſim ad placitum & guſtum voluntatis Diuinæ, ad complacentiam quoq; & contentationem ſanctiſſimarum Perfectionum Dei mei, ſapientiæ, Iuſtitiæ, Miſericordiæ, Prouidentiæ & eius Dominij.

Atq; in primis vt explicem quis ſim, & quis eſſe velim in morte.

Ip-

1. Protestor coram Deo & *Protestatio nes de statu mortis*
Christo meo, me firmissimũ esse in fide Cathclica, submittendo caput meum, iudicium, sensum, dicta & facta mea sub authoritatem Dei dicentis & Ecclesiæ docentis. Si quid autem sub mortem contrarium obtruderetur, jam reijcio, & in contra Credo; adoro, amo SSmam Trinitatem, credo, adoro, amo Verbum Incarnatum, Dominum meum IESVM; credo, quæ de Sanctis traduntur. Beatissimā veneror cultu hyperduliæ, Beatos reliquos Duliæ cultu, cum humili imploratione auxiliorum cælestium.

2. Protestor me mori velle, in *de Virtutū studio* Sancta Fide, in spe bona, in Charitate perfecta. In virtutibus omnibus Deum respicientibus, hoc est in zelo honoris Dei pietate, Religione, timore filiali & cōformitate ad placita voluntatis eius; In virtutibus item proximum concernentibus. in cardinalibus, & in virtutibus vocationis meæ, Sed in amorem Tui maxime effundo totam vitam meam, cor meum, animam totam, viresq; meas; atq; amplector Te DEVS meus, vti Dominum, Patrem, Factorem meum, toto amore Be-

neuolentiæ, Tui solius bonum, Tecum & in Te, amando: toto item amore concupiscentiæ, quia maximum bonum meũ es, & ego gratus acceptorum esse desidero: toto deniq; amore appretiationis Te, amplector, simulq; propter Te & in Te proximum meum, tam beneuolum mihi, quam inimicum, complector sub Cruce Domini JESV omnia nobis condonantis, illosq; admitto ad merita mea. Instat equidem contra me iniquitas mea; & ipse ante Te erubesco, quod ausus sim in vita mea leuare calcaneum contra mandata Tua, & manum, linguam, cogitationẽq, meam contra dignitatem Tuam. Sed parce peccatis meis, de quibus doleo ex amore Tui, & appretiatione dignitatis Tuæ, meæ vero vilitatis & malitiæ detestatione. Parce mihi Domine & aufer iniquitatem meam pretioso sãguine vnigeniti Tui, Christi mei. Timeo Domine mortem debitam peccatis meis, sed magis timeo tremenda iudicia Tua, (quæ adoro profundissimè) si quæras iniquitatem & peccatum meum scruteris; sed adduco miserationes Tuas, & merita Domini mei JESV, quibus me protego. Timeo infernũ, sed magis, ne me gratia deserat Tua, cu-

ius auxilio sustineor. Timeo pœnas Purgatorij, sed eas præeligo vitæ obnoxiæ peccato; & quæ differt mihi amplexum visionemq; Tui in æternitate. Et reposita est spes mea in sinu meo, quia bonus es Tu, & in bonitate Tua operi manuum Tuarũ porriges dexteram & gratiam, quam offers, & ego arripio nunc, Tibi placendi, Te amandi, & iam nunquam deserendi.

3. Protestor etiam me & viuere & mori velle in obseruantia votorum Religiosorum, & amore vocationis meæ, quæ renouo & confirmo, atq; eleuo ad gradũ Perfectionis, qui est Ordinis mei. Suscipere digneris Domine hæc holocausta in odorem suauitatis; quidquid autem defecit illis de perfectione, suppleo actibus perfectissimis Sanctorum, Patriarcharum Societatis. O sim dignus eorum imitatione proxima, & ad mensuram Perfectionis eorum! *De vocationis officijs.*

4. Protestor quoq; Domine JESV, me mori velle affectu imitationis Tuæ mortis in Cruce; ô quis mihi det vel in decem millibus Crucifixorum militum in monte Ararath inueniri! Mori item, affectu Perfectionis Religiosæ altioris. *De imitatione mortis Christi.*

Mori

Mori affectu martyrij sub tormentis crudelis mortis. quo affectu accepto futuros dolores, amaritudines & tyrannidē mortis, vt saltem ea ratione dem testimoniū Passioni, morti, & resurrectioni Domini mei. Velle me quoq; mori ipso affectu amoris Dei, & Christi mei, quo perlibēter me ictui mortis substerno. O quis mihi det saltem mori occasione alicuius laboris, aut actus ex amore Dei suscepti, & pro eius gloria honoreq; consummati.

5. Protestor deniq; velle me mori, sine dilatione, sine petitione modicæ protractionis vitæ, ipso puncto beneplaciti voluntatis Diuinæ, vt tunc cadam hostia illi deuota, & ad complacentiam.

Dispositiones, Dispositionem rerum mearum, pro conditione mea, qua sum, mancipiū Prouidentiæ Diuinæ & sub paupertate religiosa, hanc coram Deo meo facio.

1. Jnprimis abnego omnia, totumque mundum abijcio, quæcunq; terrena inhabitatio habere potest, & affectum omnē ab illis auello, vt strictiori vnione Deo meo accedam, nihilq; inter me & illum intermediet: nudus vero, vti in mundum processi, reuertar in terram,

2, Colligo autem omnes annos, horas, & momenta vitæ meæ, opera, cogitationes, & verba, motus vniuersos, omnes vsus creaturarum à Prouidentia Dei mihi subministratarum, atq; ea reduco in finem Creationis & Redemptionis meæ, hoc est ad laudem, gloriam, veneratione Creatoris, ad amorem, timorem, & obsequium, ac postea ad salutem meam. Quia tamen in his complete reddendis defraudaui Dominum meum, reddo non tantū quadruplum, sed ex infinito thesauro meritorum Domini JESV Redemptoris mei, compensoq; hac morte mea & extremis corporis mei pœnis, qnas expecto. Reliquos autem annos ad mortem meam, plene resigno Prouidentiæ Diuinæ, neq; vlla precatione plures postulo, neq; desidero, quam quos ex placito diuino mihi destinatos habeo,

3. Colligo vota mea omnia religiosa, actusq; eorum, juxta gradum meum; actus abdicationis omnium honorificarum præeminentiarum; actus quoq; virtutum religiosarum colligo, obseruantiæ regularis & instituti; vocationem item ipsam, eiusq; actus & perseuerantiam; col-

ligo

ligo aduersitates superatas, victorias, iniurias passiuas, asperitates morborum, amaritudines, & hanc ipsam mortis expectationem; colligo inquam hæc omnia in fasciculum maioris gloriæ Tuæ, DEVS meus, & offero in gratiarum-actionem, & benedictionem Nominis Tui; in satisfactionem Diuinæ Iustitiæ pro delictis meis; in compensationem defraudatorum tributorum meorum; in meritum & impetrationem felicis mortis; atq; in auxilium animarum Purgatorij; quidquid illis de omnibus collectis meis donare possum, attribuo.

Spiritum meum deuoueo beatitudini æternæ, corpus terræ, labores & merita paupertina mea relinquo religioni, offensas quascunq; dono male mihi volentibus, quos ad consortium meritorum meorum admitto, vt illis benefaciam;

Intētiones mortis. Restat mihi Mors ipsa mihimetipsi perferenda. Quid anima, societatem corporis desertura, cogitas? quid corpus ad ictum mortis & corruptionem damnatum immutabili decreto Dei?

Adoro profundissimè decretum Dei mei, quod in capite meo porto, atq; illud falci

falci mortis pro reuerentia decretoris inclino.

Accepto mortis diem & horam & quos Tu Domine vis modos mortis, morbos, casusue, & pericula: omniaq; hæc Tibi dedico.

1. Vt pœnam originalem adimpleam, & satisfactionem Sāctissimæ Iustitiæ Tuæ.

2. Vt satisfaciam pro personalibus & actualibus peccatis meis.

3. Vt compensem defraudationes honoris, amoris & obsequij Tui, omnesque negligentias meas, in quibus sto coram Te, sicut publicanus, non audens attollere oculos meos, sed doleo & clamo, DEVS propitius esto mihi peccatori.

4. Vt merear gratias Tuas, & potissimum sancte moriendi.

5. Vt finem Creationis & Redemptionis meæ adimpleam, reddito honore, amore, timore, fide, alijsq, tributis sicut vitâ, ita & morte mea.

6. Vt quamprimum videam Te facie ad faciem; vniarq; Tibi, & possideam vltimum & infinitum bonum meum.

7. Vt sim iam extra pericula offensæ Tuæ, faciamq; finem peccatis meis.

8. Vt adimpleam gustus sanctissimi bene-

nepla-

neplaciti Tui, & guſtus Perfectionum Tuarum, potiſſimum Dominij Tui, Iuſtitiæ, Prouidentiæ & Miſericordiæ, quas e..ſatiare vitâ morteque mea, & eius amaritudinibus, deſidero.

Suſcipe Domine JESV hanc mortem meam, in qua iam nunc, & ex qua reddo Diuinæ Majeſtati, honorem & benedictionem cum profundiſſima adoratione, amorem, obſequium, fidem, ſpem, timorem, voluntatis conformationẽ, & quidquid debeo Creatori & Redemptori meo. Gratiarum-actionem & gratitudinem, cõpenſationem omiſſorum aut defraudatorum tributorum, Imitationem item vitæ & morris Tuæ Domine JESV, fructumq; Paſſionis Tuæ, ſalutem meam æternam, Atque inde cupio mori & deſtrui pro honore Tuo.

Supplicationes Er jam ſupplex accido ad ſcabellum pedum Tuorum Domine, plenus fide, de Tua miſericordia & bonitate, pro paupere anima mea, & pro in morte indigentijs.

Da illi per mortem Tuam, meritaque Crucis pijſſime Domine gratiam cordialis & viſceroſæ contritionis, pro ipſo diſceſſu è vita.

Da

Da Sacramentorum Tuorum pium vſum, quem vnice deſidero; pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis.

Da mentis & ſenſuum præſentiam commodam ad actus virtutum, & præſertim amoris Tui, in quo mori deſidero.

Da Patientiam martyrum, & fortitudinem, perfectionem Confeſſorum, virtutes ſpecioſas Sanctarum Virginum & Viduarum.

Da Victoriam contra hoſtes ſalutis meæ; da finalem perſeuerantiam, portamq; aperi ad Te amplectendum & poſſidendum.

Et jam moriar in fide plena, ſpe firma, charitate perfecta, in virtutibus erga DEVM meum, & erga proximum debitis, in actibus religioſorum votorum, virtutumq;. Atq; ſic ſpiritum meum vltimo exſpiro in amorem Tui æternum DEVS meus: tradoque eundem in manus Tuas creatrices: ſpiritum amantem, ſpe plenum, & fide, Et ſic, ex iſto nunc,

vſq;

vsq; in momentum mortis perseuero, JESVS & MARIA Domini & amores mei vestris nominibus subscribo & roboro hoc testamentum meum. Amen.

Post mortem reliqua

Post mortem manent me putredo & vermes ac abominatio limi mei, cadaveris dissoluendi: atq; illis trado corpus meum. Simul autem procido in tota corruptione mea, in toto mortali esse meo corruptibili, Teq; adoro profundissimè DEVS meus, demergendo me vsq; ad fundum abyssi, nihili mei.

Immortalis status Purgatorium

Adoro & in toto meo esse immortali; pro quo Purgatorium est, Infernus & Cælum, peccatoribus & iustis destinata, Pro meo Purgatorio nunc assumo affectus animarum ibi detentarum, desiderij Te videndi, amoris ardentissimi, & conformitatis cum voluntate & decretis Iustitiæ Tuæ. Accepto iam pœnas illas, & coniungo, cum doloribus mortis meæ, simulq; iam offero ad honorem Iustitiæ Tuæ, ac satisfactionem, quo citius faciem Tuam videre queam.

Infernus

Adoro Te profundissime & ex loco meo, quem in Inferno peccata mea promeru-

meru-

meruêre, ibique nunc viuens veneror Iustitiam Tuam, laudo, amo, magnifico: blasphemias autem damnatorum & odia, meis affectibus pietatis & religionis compenso, ac pro illis benedico Sanctissimum nomen Tuum. Iustus es Domine, & rectum Iudicium Tuum. Pro me autem inde iam eripiendo, anchoram spei in Te, arripio. Nam in Te solo speraui, non confundar in æternum. Eripe me ab Inferno, & adduc me in regnum Tuum, quod contemptâ morte viscerosissimè desidero, nec aliud iam cogito aut volo, nisi; Adueniat regnum Tuum. Suscipite me beatissimi Spiritus, suscipe Sanctorum ex genere humano vniuersitas, vt vobiscum DEVM meum amando benedicam, & possidendo glorificem in æternum.

Deniq; jam in limine hoc vitæ & mortis depono caput meum sub decretum & falcem mortis, atque exemplo Innocentum Martyrum, non loquẽdo, sed moriendo, Credo, adoro, amo, amo, amo, spero, benedi-

nedico, ipso actu mortis meæ, Amen.

Idem exercitium compendiose colligitur paulò infra

Post exercitium hoc moriendi, restat perficere reliqua negotia mortis, & propositis firmare constituta, ne in solis verbis & affectibus præparatio subsistat.

Examine instituto aut renouato proposita fiant emendationis.

1. Circa ea quæ periculum salutis posset afferre in morte, vti esse solent effusiones ad externa solatia, conuersationem, & libertatem agendi; sæcularitatum vsus; omissiones obligationum grauiorum, &c.

2. Circa ea, quæ contristare possunt, qualis est tepiditas in spiritualibus, frigida cura perfectionis &c.

3. Circa ornandam animam morti, virtutibus, victorijsq; per orationem, ieiunia, mortificationesque, ex quibus solatium in morte emerget.

4. Circa præparationem frequentiorē, qua fiat semper bene dispositus ad beatā mortem.

Deniq; aliæ prouisiones, & memorialia coordinanda juxta primo posita puncta.

Pra-

Praxis eorum

Et exercitium moriendi compendio collectum ad usum frequentiorem.

Moriar ego ineuitabili ictu, & incerto momento, fortè subitaneo. Relinques anima mea socium corpus, & totum mũdum, hactenus tibi propositũ ad usus & fructus tuos. Propera ergo, & eum spolia, collige apparatum pro exornanda morte tua; & simul redde Domino tuo, quod debes ex illo & pro illo.

I. Ex loco Creationis universorum, adoro Te Deus meus, & omnia, quæ pro fine creationis mihi statuisti reddo, honorem & reuerentiam Tui; amorem, timoremq; obsequium, & voluntatis Tuæ executionem; Pro creatu-

ris autem, quas cuicunq; vſui meo ſubmiſiſti, eadem retribuo, & ſubmiſſas gratiarum-actiones & exaltationes. Rationaliũ autem creaturarum aſſumo actus omnes, illiſq; benedico Sanctum nomen Tuum.

II. Ex loco Redemptionis meæ,

tanquam emptum ſanguine mãcipium Saluatoris mei, eidem in profundiſſimam adorationem cado, & reddo fructum laboribus & paſſioni eius, animã meam ſaluandam, quam induo meritis & virtutibus Domini JESV, tanquam theſauris mihi ab illo relictis & donatis. Benedico Te hic Sanctiſſima Trinitas ex omnibus & cum omnibus redemptis electisq; Tuis iam beatis; cum glorioſiſſima Virgine Matre Regina mundi; cum omnibus Apoſtolis, Martyribus & exercitibus beatis. Benedico Te pro eo, quod me in Eccleſia Sancta repoſueris, & in ea in qua ſum vocatione. Deſidero autem vices ſupplere deſertorum Eccleſiæ, Tuæq; voluntatis, ad compenſandam pro illis mei Saluatoris gloriam.

III.

III. Ex loco Transmigrationis meæ, de hac vita in æternã, in meum nihilum abiectus coram Te Deus meus procido in adorationem profundissimam, caput meum inclinans sub mortis ictum à Te ordinatum, pure ad honorem Tuum & amorem, ad gustum & beneplacitum, ad satisfactionem pro peccatis, ad reddenda omnia tributa ex debito creationis & redemptionis meæ, atq; vt Te quamprimum à morte videam.

Testamentum verò meum hoc est, quod vltimo spiritu meo confirmo. Protestor me esse fidelem Christi seruum, Ecclesiæ, Religionisque meæ filium; velle autem me mori in fide sancta, spe firma, & in amore Dei mei perfecto: velle me mori affectu imitationis Christi morientis, ac Sanctorum Patronorum meorũ: nec non affectu complacentiæ reddendæ voluntati Diuinæ.

Suscipe Domine in vltimæ voluntatis holocaustum, hanc voluntariam meam mundi abdicationem, omnia vota mea religiosa; obseruantiam regularem, vio-

lentias illatas, victoriamq; sensualitatum.

Dona autem felicem mortem & pretiosam, & in ea sinceram contritionem, vsum Sacramentorum, comitem in viam Christum in Eucharistia. Da mentis præsentiam, ad actus pietatis & amoris Tui. Dona patientiam in doloribus, in tentationibus victoriam, & fortitudinem contra hostis mei insidias. Dona in perfecto Tui amore mori.

Et jam à nunc vsq; in punctum agonis mei, & viuendo & moriendo amo Te DEVS meus, amo, amo; Te tota fide, spe, Tui timore, & voluntatis Tuæ executione, laudo, glorifico & benedico in æternum: sub vmbra vestra & auxilio JESVS & MARIA, Amen.

Jam ab hinc anima mea, sede & computa sumptus, quos habeas ad perficiendũ opus felicis Tuæ mortis, & prouide illi necessaria.

Volo inprimis & propono firmiter Sacramentali pœnitentiâ præmissa, omni conatu vincere hunc N. habitum meum malum, & hoc vitium N. quod mihi periculum æternum, vel in subitanea morte afferre potest.

Volo & propono emendare spiritus

mei lapſus, iſtos N. N. negligentias in his & illis, ex quibus contriſtari merito poſſim in morte.

Volo & propono ad exornandam animam meam in conſpectum Iudicis Chriſti, & in totam æternitatem, curam virtutis huius N. deinde iſtius exercendæ: iſtarum mortificationum, orationum, propoſitorum vero factorum executionem.

Volo & propono in occurſum inſperatæ mortis præparationem huiuſmodi adhibere cum frequentiore confeſſione, qua ſemper bene diſpoſitus ſim.

Volo & propono in occaſione probabili mortis, Sacramenta ſumere, dolere de peccatis, confiteri & deſiderare abſolutionẽ pro omni puncto mortis.

Memorialia autem agendorum tunc, hæc mihi erunt.

1. Patronos Sanctos agonis mei eligo hos. N. N.

2. Ad Chriſtum morientem deuotio erit hæc: & ad eius vulnera.

3. Legenda & commemoranda hæc mihi erunt.

4. Hi actus virtutum ſæpius exercendi, N; N. &c, &c,

PRÆ-

PRÆPARATIO II.

Pro frequentiore vſu, contractior.

Supponit hæc Præparatio priorem Generalem præmiſſam eſſe aliquando, & prouiſiones mortis comparatas, ac memorialia concinnata pro ſe & pro alijs, qui ſe iuuabunt: Ideo hæc in iſta præparatione breuibus reflexionibus tantùm attinguntur. Actus huius præparationis hic ſubiunguntur.

ACTVS ſecundæ Præparationis frequentioris

I. Primus actus.

Conijcere oculos per reflexionem in ſtatũ præſentem animæ ſuæ, an interueniat aliquid quod ferre ſecum nollet in anima ſua ad mortem, afflictiuum, contriſtatiuũ & forte periculoſum ſaluti.

Actus Contritionis.

Det initium & Sacramentalis confeſſio, cum aliquid pro ſatisfactione, cum interpoſitione meritorum Chriſti, ad quæ cõfugiendum eſt.

II.

II. Secundus actus.

Exercitium breue moriendi, ad ornamenta animæ comparanda.

Praxis Exercitij moriendi.

SIsto me in conſpectu Tuo tremenda Maieſtas, Sanctiſſima Trinitas DEVS meus, in termino tranſmigrationis meæ, moriturum, quándo vis & iubes; atq; in hoc loco dominationis Tuæ procidens in abijſſum nihili mei Te adoro me toto, & omnibus atomis meis. Atque etiam in profundo peccatorũ meorum, ubi deteſtor illa ſingula, dolens ex puro amore & pretio Tui. Doleo & erubeſco in Tuo conſpectu, tanquã honori & amori Tuo infidelis, *Adoratio*

Chri-

Christo meo ingratus, Spiritui Sancto rebellis. Sed demergo ista in sanguine agni & meritis Domini mei. Moriar potiùs, quam Te offendam ampliùs.

Cō-munio Spiritualis

Sisto me & coram Te Amor noster, Verbum Incarnatum, Domine IESV, apud nos manēs, descende ad cor meum priusquam moriatur seruus tuus; nā desidero Te sumere, in viam illam vniri Tibi. Amplector Te omnibus desiderijs, potentijs, appetitibus omnibus in spiritu meo, donec Sacramentalē præsentiam mihi corporaliter donare digneris, quam præsertim in agone meo desidero, & humillime peto, cum vsu aliorū Sacramentorum.

Desideriū Sacramentori.

Atq;

Atq; sic, corã Te præsente, spiritui meo, dispono mortem meã. Inprimis vero eam pronissimus accepto de manu Tua, decretumq; mori humillime adoro. Accepto & mortis diem, horamq;, & comites mortis, labores, dolores, angustias, amaritudines & quæ Tu in agone meo ordinasti. *Acceptatio mortis,*

Voloq; mori, quia Tu idem vis, vt exequar sententiam Tuam contra peccatum originis latam, vt per eam mortem, reddam tributa mea Majestati Tuæ, laudem, honorem, amorem, obsequium, gratias gratitudinemq; pro beneficijs & benedictionem, Vt sic ad finem vltimum creationis meæ & Re- *Intẽtiones mortis*

 dem-

demptionis deueniam.

Vt imiter Te JESU, pro me mori dignatum, & Beatissimam Matrem Tuam, Sanctosque Patronos meos: reddam vero mediante hac morte, Passioni & morti Tuæ fructum, salutem animæ meæ.

Vt satisfaciam moriendo pro peccatis meis actualibus; vna cum meritis morientis pro me Filij Dei.

Vt merear gratiam mihi necessariam ad feliciter moriendum, & gloriam beatitudinis æternæ.

Vt persoluam pœnas temporales, quas merui peccatis meis. Sed potissimùm, vt pœnas animarum Purgatorij morte mea exsoluam.

Vt

Vt Te quamprimum bonũ meum infinitum videam, facie ad faciem, & amplectar immediatissima vnione mei, amẽq; perfectissime,

Desidero namq; & patriam illam beatissimam, mihi preti oso sanguine Christi emptam, hoc autem exilium non amo. O quando, ô quando & miser & peccator esse desinam! Detestor præsentem vitã propter peccata, fallaciam, vanitatem, & pericula salutis. *Desideriũ supernorũ.*

Colligo autem Domine totam vitam meam, annos & horas elapsas & currentes, actionesq; omnes, atque ex his reddo finem creationis meæ & Redemptionis, laudem, hono- *Collectio totiq vitæ intrĩbutæ Deo.*

rem, amorem, timorem & obſequium; tributa quoq; Fidei, ſpei, charitatis perfectioris, ſubiectæ voluntatis Tuis beneplacitis, Pietatis, Religionis, humilitatis, Charitatis in proximum & inimicum, cui condono omnia ſicut condonari mihi cupio. Et omnium virtutum Chriſtianarū. Prout nunc & ſemper & pro ipſo agone meo in tunc temporis, Credo, adoro, amo, Te Dominum meum; doleo Te offenſū, timeo, ſimulque in Te ſpero. Quidquid autem horum defuit, aut defraudaui per negligētiam malitiamq; meam, compenſo inprimis virtutibus & meritis dulciſſimi Domini JE-

SV, deinde morte hac mea, eiusq; accessorijs dolorosis. Reliquum autem tempus vitæ, resigno Diuinæ Prouidentiæ, Dominæ meæ, nec illud produci peto, quam quod ad gustum illius futurum est.

Colligo & vota mea Religiosa, actusq; eorum, executionē ab Instituto præscriptorum, labores, victoriasq; mei omnes, in fasciculum maioris gloriæ Diuinæ compono, & ijs omnib9 finem vocationis meæ reddo. perfectioris amoris Dei, obsequij maioris circa salutem perfectionemq; meam, & proximorum. Defectus omnes doleo, & suppleo ex vitæ Domini JESV actionibus perfectissimis.

Modum mortis meæ expe-
Modũ mortis. cto à Prouidentia Diuina, tamen simul desidero mori, non aliter, nisi mori amore Dei mei; mori imitatione Christi in cruce pendẽtis; mori affectu Martyrum Sanctorum; (ô habuissem inter decem millia crucifixorum locum vnus ego) & mori mortibus Sanctorum Patronorum meorum. In his vero affectibus perseuero semper, vsq; in horam mortis meæ. Tu Domine suscipe vitam mortemq; meam cum omnibus accessorijs in holocaustum gloriæ Tuæ. & in odorem suaui-
Commendatio animæ. tatis. In manus Tuas commendo spiritum meum: in manus creatrices, redemptrices, & cle-

mentissimas; Spiritum creden-
rem, sperantem, amantem, con-
tritum & humiliatum.

Jn manibus Tuis, aut poti-
us sub scabello pedum Tuo-
rum moriar JESV & MARIA
Amen.

Suscipite & vos Sancti Pa-
troni mei animam meam de
mundi statione abeuntem, &
occurrite ei cum auxilio ve-
stro. Tu Mater misericordiæ
IESVM benedictum fructum
ventris Tui, illi post hoc exi-
lium ostende clementissima &
dulcissima MARIA. Et tu San-
cte Angele custos mei, pijssi-
me, susceptam de voluntate
Dei, conserua & protege in a-
bitu suo clientem Tuã & pu-

pillam. Redde illam Creatori Redemptori & Domino ſuo. Tibi vero pro cuſtodia tam fideli & diuturna humiles ago gratias, reddo fructum cuſtodiæ Tuæ, & amo, & benedico Te in æternum obligátiſſimus.

III. *Actus Tertius.*

Supplicationes pro neceſſitatibus mortis.

AD pedes Tuos Crucifixe, Domine, procumbo ſupplex pro morte mea, & plenus fide & ſpe de Tua miſericordia & Bonitate; nec non pro anima mea eiuſq; diſceſſu vltimo.

Da illi per amariſſimã mortem Tuam meritaque Crucis, gratiam cordialis & perfectæ con-

contritionis de peccatis suis, offensis Tuis

Da Sacramentorum Tuorũ gratiam & vsum pium ad plenam emundationem macularum, & ad ornamenta virtutũ, vt complaceat in conspectu Tuo.

Da mentis & sensuum præsentiam commodam, ad actus virtutum & affectuum, præsertim perfecti amoris in Te, in quo mori desidero.

Da patientiam Sanctorum Martyrum, & Sanctorum Patronorum meorum fortitudinem, da perfectionem Sanctorum Confessorum, virtutes heroicas Sanctarum Virginum, & Viduarum.

Da victoriam, contra inſultus vltimos hoſtium animæ & ſalutis meæ.

Da finalem perſeuerantiam in omnibus: Portaſq; aperi pulſanti animæ ad nuptias illas æternas, vt Te amplectatur & poſſideat in æternum.

IV. Actus quartus.

Recognitio propoſitorum factorum in præparatione prima, circa emendationẽ eorum, quæ in morte pati nollet in anima ſua, & circa comparationem eorum, quibus gaudere vellet, vel ſi nondũ propoſitum quidquã eſt, hic locus erit idem præſtandi, cuius exemplum eſt ad finem primæ præparationis.

PRÆPARATIO III.

Pro quotidiano vſu.

Fundamentalia cuiuſque Præparationis ſunt, ea quæ animæ maculas abſtergant, & quæ adornant eandem. 1. Contritio.
2. Communio Spiritualis & deſiderium Sacramentorum.
3. Conformitas cum voluntate Diuina in morte.
4. Actus virtutum magis neceſſariarum.
5. Deſiderium ſupernorum.
6. Supplicatio pro neceſſitatibus mortis.
7. Commendatio animæ abituræ.

Quæ in Exercitio moriendi iſto continentur.

ECce moriar ego, & non viuam. Moriturus ergo adoro Te profundiſſime in puluere mortis meæ SSma Trinitas. & Te morientem in Cruce Dominum meum JESVM. *Adoratio in morte*

Aſſentior Ssmæ voluntati, caputq; meum ſubijcio decre- *Cōformitas Voluntatis*

to

to mortis ad executionem illi-
Dolor de peccatis. us; & volo mori. Sed prius lauo animam meam peccatricem in sanguine Tuo Domine JESV, doleoque toto spiritu de peccatis meis, quod leuauerim calcaneum contra Majestatem Tuam. Doleo verò quia amo & æstimo Te super omnia.

Communio Spiritualis & desiderium Sacramentorũ. Cupio Te mi JESV comitẽ viæ corporaliter accipere; & nunc in spiritu meo amplector Te toto amoris desiderio. Cupio & aliorum Sacramentorũ vsum in agone meo, ad gratiam in oculis Tuis comparandam.

Actus virtutum. Offero Tibi Domine mortẽ meam in gloriam honoremq; Tuum, in executionem sanctis-

ſimæ voluntatis, in amorem, obſequium & benedictionem Tui. Vinco me propter Te, meumq; amorem vitæ, timorem mortis, horrorem futurorum, amplectorque mortem, Vinco appetitus omnes ſenſitiuos & motus, voloq; mori. Has autem victorias dedico Tibi Domine JESV morienti pro me in Cruce. Moriar in Fide plena, ſpe firma, charitate perfecta, Tui & proximi & inimicorum meorum, vti ex nunc in ipſam mortem, Credo, adoro, amo, timeo , ſpero, obſequor voluntati, & benedico: & inimicos meos ſub Cruce Domini mei amplector.

Deſidero patriam meam be-

Desiderium super-norũ.

atam, vt in ea quamprimum videam Te Devs meus, & bonum meum infinitum, amplectar & possideam in æternum.

Rogationes necessitatum mortis.

Da mihi Domine gratiam felicis mortis, da Sacramentorum vsum, da patientiã & fortitudinem, da in amore Tuo mori, & in amore finalem perseuerantiam.

Commendatio animæ.

Jn manus Tuas Domine cõmendo spiritum meum, moriar in vestris nominibus JESV & MARIA, Amen.

His optime additur, assumptio meritorum Christi, & induitio virtutum eius actionumque ad splendorem animæ; quia Christus nobis sua donauit. Meritorum quoque Sanctorum Patronorum vsurpatio & intercessio inuocata, assistentia vero & auxilium S. Angeli Custodis.

Non careat etiam hæc præparatio ali-

quo actu & operatione externa virtutis alicuius, mortificationis, victoriæ sui, laboris, aut orationis, ad promerendam & impetrandam felicem mortem, maxime vero immediatam præparationem perfectam.

PRÆPARATIO IV.

Horaria, seu frequens in die, potissimum ad pulsum horarũ.

Conformis ad id, quod S. Franciscus Borgias aiebat; oportere Religiosum mori quotidie 24. vicibus. Et licet intellexit mori per mortificationis violentias, tamen & mori per præparationem bene intelligetur.

Non requiritur vt omnia contenta præparationum simul attingat, sed nunc hæc nunc alia, prout spiritus inuitabitur & facem præuiam in mente aduertet, ductu præparationum supra allatarum.

Varios modos habere poterit, & breuibus ac breuioribus verbis potissimum ex scriptura expediri.

1. *Per modum sacrificij.* Qui solus

lus mortis poteſtatem habes, ſuſcipe meam, in ſacrificium laudis, honoris, amoris & obſequij voluntati Tuæ, in Sacrificium Fidei, ſpei, & Charitatis, & omnis beneplaciti Tui. In manus Tuas depono ſpiritum meum reddendum beatitudini æternæ. Moriar in holocauſtum honori Tuo.

2. *Per modum benedicendi Deum.* Benedic anima mea Domino in tranſmigratione tua; benedicite Domino morbi, dolores, anguſtiæ omnes agonis mei; benedic mors mea Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula; laudabo illum in perpetuas æterr itates.

3 *Modo commendationis animæ.*

Jn manus Tuas Domine, commendo ſpiritum meū, credentem, venerantem, amantem, ſperantem, timentem, dolentem, & mori volentem, in beneplacitum Tuum, & in poſſeſſionem regni Tui, Tuiq; ipſius. O aperi, aperi mihi Domine!

4. *Modo deſiderij* O quando adueniet regnum Tuum Domine? & amplectar Te Patrē meum in cælis, ego exul filius in terris? O quando dabis panem Tuum in nuptijs cæli, Te ipſum, totum, ſine velamine. Facio voluntatem Tuā, & morior quando jubes; Tu libera me ab omni malo æterno.

5. *Converſione mortis in tribu-*

ta Deo. Ecce ego ſeruus Tuus mortem meam conuerto in tributa Tibi debita, atq; ipsâ illâ & vltimo ſpiritu Te laudo, adoro, glorifico, amo, amo, amo, & benedico. Timeo & ſpero, & doleo; amplector ſanctiſſimam voluntatem Tuam tota morte, quam & qualem Tu decreuiſti?

Præparationem perpetuam, optabilem eſſe nemo negabit, qui bene expendit Mortis negotia, & æternitatis adeundæ, Huius ergo officia ſunt.

1. Vitare peccatum omne, vel grauius maximè.

2. Exequi tempeſtiue ea, quæ in morte agenda deſiderabit.

3. Ponere ſe cogitatione frequenter in articulo mortis, & corporis compoſitione ad ſitum morientis, recogitando quid fieri vellet, morte tunc accurrente.

4. Aſſueſcere morti cogitandæ, ne perturbetur, ideoq; obſtupeſcat, & nolit agere, in occaſione eius accedentis.

5.

5. Sæpe finalem gratiam petere, tunc sum me necessariam.

6. Deuotionem crebram erga Christũ morientem in Cruce assumere; & patrocinium Pretiosissimæ Matris dolorosæ implorare, ac Sanctorum Crucifixorum.

7. Vsum exercitij moriendi habere, cuius exempla & copiosiora, & breuiora, sunt in Præparationibus supra positis,

PRÆPARATIO VLTIMA.

Ad nuntium mortis instantis.

Quædam hic agenda ante agonem dũ mens & sensus subseruiunt: quædam in agone cum adiumento aliorum suggerentium.

§. I.

Ante agonem.

Acceptâ mortis iam accessuræ notitiâ, quamuis æger videatur sibi adhuc constare viribus, velit agere tempestiue, quæ felici morti apta sunt, ne suo iudicio & tergiversatione, vt fit decipiatur.

Agenda tunc hæc erunt.

I.

Acceptatio mortis, & oblatio.

Ad primum nuntium, inclinatione animi & corporis, quæ fieri tunc poterit.

DOminus eſt, Dominus mortis meæ, quod placet in oculis eius, fiat. Paratum cor meum Deus: adoro ſanctiſſimam voluntatem Tuam. Non mea voluntas fiat, ſed Tua Domine. Nolo vitam, ſed volo beneplacitum Tuum. Vita & mors mea benedicite Dominũ. Ecce ſponſus venit, exeamus obuiam ei.

Volo igitur mori, quia vis Domine; & caput meum, mortemque depono ſub altari Tuo, cum eius acceſſorijs in Sacrificium, laudis, honoris, benedicti-

dictionis, gratiarum-actionis & gratitudinis pro imperceptibilibus beneficijs Tuis.

Jn omnem finem creationis & redemptionis meæ, in amorem Tui, in gustus & complacentias beneplaciti Tui, in satisfactionem pro peccatis meis, vna cum meritis Crucis Christi.

Ad capiendam hereditatem mihi morte Domini JESV emptam, patriam cælestem, cum beata Tui visione & fruitione, quam desidero. Quam dilecta tabernacula Tua Domine!

Sancte Patrone N. mortis meæ, & S. Angele Custos, adjuvate clientem vestrum, dirigite in his opportunitatibus

mortis: perficite greſſus meos in hac ſemita, vt non moueantur veſtigia mea.

℣ Sancti Patroni mei, impetrate mihi veram contritionem, charitatem perfectam, gratiam finalem & felicem mortem.

II.

Sacramentorum vſus, Pœnitētiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ, Vnctionis.

Actus Contritionis frequens & copioſior, & breuior: Confeſſio Generalis ad animam maculis detergendam, ſaltem quoad grauiora argumenta, circa vitæ ſæcularis lapſus; vocationem, & curam Perfectionis quærendæ, circa vota Religioſa, communes obligationes, inſtitutum; circa officium impoſitum, forte etiam ſacerdotale, eiuſque onera, & obligationes, adminiſtrationeſque, ſicubi remorſus conſcientiæ occurrent.

Actus Pœnitentiæ circa Confessionem.

CONfiteor Tibi misericors Deus adverſum me iniuſtitiam meam; confiteor coram Sanctis Tuis, vna cum publicano pœnitente, nec audeo leuare oculos meos, in conſpectum Tuum, ſed proſtratus clamo; Deus propitius eſto peccatori ô vtinam Te nunquam offendiſſem, aut prius conſumptus fuiſſem?

Tibi ſoli peccaui, Domino, Iudici, Seruatori meo. Peccaui ſuper numerum arenæ maris. Ego debitor decem milliũ talentorum; non intres in Iudicium cum ſeruo Tuo debitore; exſol-

exſoluo ex theſauro mihi conceſſo, ex meritis paſſi & mortui Redemptoris mei.

Ego ouis perdita; anima mea in peccatis, eſt drachma in ſordibus amiſſa, ſed, ſi vis, potes me mundare.

Parce filio prodigo ô Pater miſericordiarum; ecce iam ſiliquas mundi deſero; Tu ſtolam beatitudinis afferri iube, & dona pœnitenti, atq; redeunti.

Abijcio libens hanc vitam, quia peccatis obnoxiam, lutulentamq;. Tu cor mundum crea in me Deus: mori iam eligo, quam periculum offenſæ Tuæ in hac vita.

Suſcipe in ſatisfactionem & compenſationem debitorum

meorum Pater Misericordiarũ, passionẽ vnigeniti Tui & mortem, atque cum illa mortem hanc meam & dolores omnes.

Qui Mariam absoluisti, & Latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti. In Te speraui: non confundar in æternum.

Actus ad sumptionem Eucharistiæ, & viatici.

DOmine, descende in domũ meam, priusquam moriatur seruus Tuus.

Veni Domine JESV, veni, confirma cor meum, dum cõsistunt aduersum me castra mortis, & doloris. Qui saluasti Petrum in mari, da dexteram

& ſalua me in naufragio vitæ meæ.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Ecce Panis Angelorum factus cibus viatorũ. Amplector Te tota vi amoris mei: omnes affectus meos, ipſumque amorẽ vitæ, & mortem conuerto in amorem Tui.

Amore Tui iam in Tuis manibus moriar; omnes ſpiritus & ſpirationes reliquas trãsformo in amorem Tui.

Tu ſcis quia amo Te, amo, amo; ſed adhuc adiuua infirmitatem meam, Mori malo, & moriendo amare Te, quam viuere, & viuendo negligere Te. Tu primogenitus ex mortuis, fac me mori in amore Tui. Sim

Tuus in vita & in morte.

Tibi dedit omnia Pater in manus, & me totum: ergo depono in manus Tuas Domine JESV animam meam Tuo emptam ſanguine: da illi amare Te in æternum. Depono vitã reliquam, horas & momenta, nihilq; etiam per deſiderium protrahendi, ſubtraho. Dic iam mihi Domine, quod & Latroni promiſiſti: Hodie mecum eris in Paradiſo.

Bone Paſtor, panis vere, Tu nos paſce, nos tuere, Tu nos bona fac videre in terra viuentium. Tu qui cuncta ſcis & vales, qui nos paſcis hic mortales: Tuos ibi commenſales co-

here-

heredes & sodales fac Sancto-rum ciuium.

Anima Christi sanctifica me &c. &c.

Absorbeat quæso Domine JESV Christe mentem meam ignita & melliflua vis amoris Tui, ab omnibus, quæ sub cælo sunt, vt amore amoris Tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori, Amen.

Actus ad Extremam vn-ctionem.

Desiderium Extremæ vnctionis necessariũ est, & exponendum coram assistentibus, vt procurent vbi opus viderint. Vix jam ista hora æger aptus fit longiori deuotioni, breuibus excitetur, vt videatur Sacerdoti vngenti respondere.

Dele Domine reliquam ini-

quitatem meam, & da virtutẽ ac fortitudinem contra hostes meos.

Parce peccatis meis Domine, quæ detestor, & de quibus doleo. Emunda sensus corporis mei & organa iniquitatis.

Offero vulnera Capitis Domini IESU passi, pro eo, quod per visum, auditum, & odoratum peccaui.

Offero vulnera manuum pedumq; Domini IESU, pro eo qvod offendi operibus gressibusque meis.

Offero vulnus Sancti lateris, pro eo, quod per lumbos deliqui meos. Compenso autem meritis & doloribus corporis

Domini IESU, omnes corporis & sensuum iniquitates.

III,

Reflexio ad informationem relinquendam.

Si quæ negotia tractabantur, nondum perfecta: Si quid justitiæ compleri debet, ex officio quod administratum est. Si quid alienæ famæ interest. Si quid ad ædificationem evulgari debet. Si communis boni ratio postulat aliquid aperiendum, informandum, præcauendum.

IV.

Protestatio & voluntas confitendi in agone,

Simul & desiderium absolutionis tunc accipiendæ, idq; sæpius habendum, & enarrandum.

V.

Sæpius iteranda, dum seruiunt sensus.

1. *Contritio, & pœnitentiæ actus.*

Miſerere mei Deus &c: cor contritum & humiliatũ Deus non deſpicies.

Deus propitius eſto. Doleo quia amo, Omnia mala pati præeligo, quàm offenſam Dei.

2. *Communio Spiritualis, & viſitatio Ven: Sacramenti*,

quæ, & mente veluti miſſa ad locum ejus, & per alium fieri poteſt, *Miſſæ* quoque *auditio* interpretativa, hoc eſt, mente & affectu tranſmiſſo ad Eccleſiam & ad Altare. Anima enim non pedibus movetur, ſed affectibus.

Surge anima mea propera ad Dominum, ſponſum, ad Magiſtrum, ad ductorem, ad panẽ

uiati-

viaticum in viam æternitatis.

Adoro profundissimè, Tuam præsentiam in altari, præsentiam Divinitatis & Humanitatis cum unione hypostatica; præsentiam animæ, Corporis & Sanguinis pretiosissimi.

Transmitto Tibi amplexus meos toto corde, tota anima, totis viribus meis, vitâ, & tota morte meâ.

Descende dilecte mi, antequam moriatur servus Tuus, vel, mitte indignissimo gratiam sanctificandi nomen Tuū, gratiam amandi Te, & in amore moriendi.

Descende Domine eâ dignatione, qua puerum Centurionis visitasti. Accepta hos do-

lores meos, & angustias; vre, seca, universum lectum meum versa in infirmitatibus, & da patientiam.

O apprehendam Te jam! nec dimittam, donec sine velo, non post parietem, neq; in speculo, sine modo, sine mensura habeam Te & possideam.

Ad Missam mente excursus, dum fit in altari.

Excurro & introibo ad altare Tuum Deus meus. Sacrificio illo Te honoro, adoroq; profundissimè.

Suscipe illud Sancte Pater Omnipotens à me ad gustus & complacentias Tibi reddēdas, & suaviationes, quas unigeni-

tus Tuus complacendo Tibi exhibuit, in primo ſacrificio.

Suſcipe ad gloriam altiſſimam, quam Chriſtus reſtauravit in mund.

Ad gratiarum-actionem pro omnibus bonis Tuis.

Ad ſatisfactionem pro peccatis & pœnis meis.

Ad compenſationem omiſſionum & defraudationum mearum.

Ad impetrandam gratiam finalem, patientiam, & plenã amore Tui mortem,

Offero quoq; cùm hoc ſacrificio, totám vitam meam, & mortem, vota Religioſa, actiones & paſſiones omnes, in holocauſtum gratioſum

Tuæ ſanctiſſimæ voluntati.

Deinde fac me Domine participem ſacrificij; illius. Deſcende ad me ex altari illo, ut Te ãplectar toto corde, & tota morte mea. Satia & inebria me Sanguine Tuo: grandis mihi reſtat via in æternitatem; ciba me ex altari Tuo, ut non deficiam in via. Spiritus Tuus bonus deducat me in terrã rectam, propter nomen Tuum vivificabis me. Et educes de tribulatione animam meam.

Ad uſum frequentem revocari poteſt etiam *Commendatio* animæ ſuæ, *Oblatio* dolorum & anguſtiarum in unione paſſionis Chriſti. *Laudes* & gratiarum-actiones

Pater in manus Tuas commendo ſpiritum meum. *Commendatio*

Reddo illum Creatori ac

Re-

Redemptori meo; ſpiritum confitentem, credentem, pœnitentem & amantem.

Deus in adjutorium meum intende, & eſto à dextris mihi ne commovear.

Chriſte moriens memento mei in regno Tuo. Suſcipe me cum latrone pœnitentem; & cum Magdalena amantem. Dic mihi; remiſſa ſunt tibi peccata tua.

Lau- Benedic anima mea Domi-
des. no, & omnia quæ intra me ſunt, & mecum ſunt. Benedicite omnes dolores mei, ardodores, anguſtiæ, Domino.

Benedicite mors & vita Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Vitâ & morte

mea ſis benedictus, glorioſus, & ſuperexaltatus.

Suſcipe Domine hos labores meos & anguſtias omnes, cum doloribus & anguſtiis Domini IESV morientis. Et ſi quid bonorum operum meorum colligi poteſt, id totum unio operibus, intentionibus & meritis Chriſti mei Redemptoris. Quidquid defuit vitæ meæ, & in quo defecerunt ſicut fumus dies mei, ſuppleo & compenſo ex eodem theſauro infiniti valoris. *Oblatio.*

Suſcipe Domine, omnia quæ patior, pro peccatis meis, in honorem Tuum, in gratiarum actiones &c.

Multa flagella peccatoris, mea

mea cedant amori Sanctissimæ voluntatis, & Iustitiæ. me verò ad Sacramentum reconciliationis admitte.

VI.

Varia Pietatis exercitia.

Ne tempora & momenta pretiosa ante agonem pereant, & ea quæ ab ægro tolerantur, ne sine merito sint, distineri ille potest per breves suggestiones, ne opprimatur. Lectio quoq; brevis ad placitum ægri, & si quid suum habet, cui assuevit, facilius enim sua influunt, menti laboranti.

Ad IESVM Crucifixum in amplexu.

Ne derelinquas me Domine IESU, ne discesseris à me, sed à dexrris esto mihi.

Intra vulnera Tua abscon-de me, & jube me venire ad Te.

Anima mea, columba Tua

in

in cauernis maceriæ hujus, in vulneribus Tuis, & inter ſpinas Capitis Tui.

In nidulo meo moriar inter Crucem, flagella, vincula, & vulnera ſponſi mei crucifixi.

Qui Lazarum de monumento evocaſti. Miſerere mei

Qui Latroni Tecum morienti regnum Tuum promiſiſti. Miſerere mei.

Qui calicem paſſionis in ſalutem meam ipſe ebibiſti. Miſerere mei.

Qui in horto comprehendi voluiſti. Miſerere mei.

Qui judicia iniqua & decreta damnationis ſubiuiſti. Miſerere mei.

Qui

Qui crudelissima flagellatione prostratus fuisti Misere.

Qui ignominiosa Coronatione illusus erubuisti. Mise.

Qui Crucem funestam Tuis humeris portasti. Misere.

Qui crucifigendas manus pedesq́; obtulisti. Misere.

Qui in cruce per tres horas pependisti. Miserere.

Qui inclinato capite, factꝰ obediens usq́; ad mortem, Spiritum Patri reddidisti. Mise.

Qui venturus es judicare vivos & mortuos. Miserere mei. Tecum vivo, & morior.

Ad B. Virginem, & Sanctos.

Salve Regina Mater miseri

cordiæ, & ſpes mea ſalue.

Et IESUM benedictum mihi poſt hoc exilium oſtende.

MARIA Mater gratiæ, Mater miſericordiæ &c.

Monſtra Te eſſe Matrem mihi peccatori.

Sancta MARIA & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari & ſalvari, qui vivit & regnat in ſæcula.

Subvenite Sancti Patroni mei, ſuſcipite animam meam, & offerte eam in conſpectu altiſſimi.

Actus Virtutum.

Spei ad erigendum ægrum; Reſignationis vitæ, ac deſiderij ſupernorum; alij ſupra poſiti ſunt.

Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Præoccupaverunt me laquei mortis; Sed tu Domine servabis me, & custodies me.

Deus meus adjutor meus, & speravi in eum.

Resigno jam Domine totã vitam, & reliqua momenta sanctæ voluntati Tuæ.

Desidero jam Tecum esse, ut placeam Tibi in regione vivorum.

Quid mihi iam est in cœlo & super terram, præter Te Domine?

VII.

Cura Indulgentiarum.

Quas æger lucrari potest exequendo con-

ditio-

ditiones, sed præsertim Plenariæ in agone ipso obtinendæ, per pronunciationem Nominum IESU & MARIÆ.

Actus quidam heroici.

Nolle prorogari dies vitæ & horas, ob solum beneplacitum Divinæ voluntatis.

Dolores perferre sine querimonijs impatientijs, & ab illis nolle liberari.

Medicamentorum curam reijcere, & nolle pretiosa.

Non esse gravem aut amarum curam sui habentibus, & subservientibus,

Lucra indulgentiarum, suffragia pro se, meritaq; sua, donare animabus Purgatorij.

§. II.

In agone.

Quæ ægro suggerenda sint, ad 4. capita revocari possunt.

1. Ad actus virtutum magis necessariarũ, Fidei, Spei, Charitatis. &c

Credo quod Redemptor meus vivit. Et ipse est Deus

 meus,

meus, quem adoro, cum Patre & Spiritu S.

Non loquẽdo tantũ, ſed moriendo, Credo, Spero, Amo.

Tu ſcis Domine, quia amo Te.

Fiat voluntas Tua.

In Te ſperavi, non confundar in æternum.

Major eſt miſericordia Tua quam peccata mea.

II. Ad commendationem animæ, & refugium ad Sanctos Patronos.

In manus Tuas Domine cõmendo Spiritum meum.

Ad vulnera Tua IESU Crucifixe confugio.

Ad vos etiam Sancti Patroni recurro, ſubvenite clienti veſtro.

San-

Sancte Angele Cuſtos defende me, & redde me Domino meo.

III. Ad vim contra inſidias Dæmonis.

Per ſignum Crucis de inimicis noſtris, libera nos Deus noſter.

Per merita Crucifixi, fugite partes adverſæ.

De ventre Matris meæ, Tu es protector meus.

Alia tunc ſuggerenda excerpi poſſunt hinc inde in ſupra poſitis. Laudes, petitiones, oblationes, & amoris actus.

AD MORIBUNDOS, AFFLICTOS, & quidquid patientes in solatium.

SERMO,

De magno Sapientiæ Divinæ consilio ex Minoratione, Destructione, & Exinatione.

AUdite cœli quæ loquor, sed magis terra per totam vallem lacrymarum audiat, & resonando enarret magnum Sapientiæ Incarnatæ Consilium, quo correxit orbem terræ, à concupiscentia & superbia magnis concussum spiritibus. Venite audite qui laboratis & onerati estis; & quos mundus odio habet: & vos qui incrassati in illo, & dilatati estis, pusilli quoq; & magni audite, & date magnificentiam Deo nostro: quia perfecta sunt opera ejus, & omnes viæ judicia.

Non reperit Sapientia æterna apud

crea-

creaturas, quo magnum Deum amplius magnificaret per additionem: quid enim, quod infinito quis addat, habet? Sed descendente Magni Consilij Angelo in terras, reperit, quo majorem Deum faceret, per diminutionem. Adduxit nempe Verbum Abbreviatum, Filium Dei; tunc quas secum tulit, antiquas illas Domus suæ divitias, per Minorationis Sacramentum in nostris humanis angustijs absconditi, & inde majorem gloriam protulit Magni Dei.

Venit inquam ad filios hominum Sapientia Incarnata, in primis lumen illud inaccessibile creaturis in testa nostra fragili & angusta occultavit, mūdo intulit, in Incarnatione. Deinde inclamitās per plateas parvulis suis aperuit consilium absconditum, & eas, quæ nimis profundæ factæ sunt, cogitationes, in aperto ostendit, docuitq; qui major est vestrum, fiat sicut minor. Ad initia creaturarum rationalium bellum statim natum, contra maximam Dei majestatem, de potioritate, aut æqualitate honoris. Angelus similis Altissimo, Homines, sicut dij esse volverunt, utriq; raptores. Deus è contra demisit se ad vilitatem creaturarum per Incarnationem

Incarnatio ex cõsilio Minorationis tionē ex consilio Minorationis, ut destrueret consilium usurpationis, ambitionis & rapinæ. Maximus erat in cœlo Filius Dei inter millia, & decies centena millia ministrantium assistentiumq;. Vt tamen adhuc major esset apud creaturas, consilium protulit Minorationis, in terram secum tulit. Relicto igitur Patre in cœlis, Matrem ancillam elegit in terris, domum in Nazareth, ubi dubitatum est, an aliquid boni proferre posset. Nutritium & Patris loco accepit fabrum, sine censu, sine honore, sine commoditatibus; omnia ad consultam Minorationem. Invitatus à primis terræ Consulibus, Patriarchis, & Magnis Patribus ad sua; Veni, qui venturus es, & noli tardare; Venit, & novissimo loco recubuit, priusq; fecit, quàm docuit, mysterium Diminutionis. Surge Adam pulse de paradiso, propera, hospitem accipe Filium Dei, in domo tua, appara festa nuptialia; Dominus universorū surrexit de thalamo suo, tuæ nupturus vilitati, sanguini, & carni. In domum tuam descendit, ut tuam filiam, eamq; nigram & pauperem accipiat in sua, genus tuum nobilitet, participemq; faciat suarum fortunarum. Occurrit venienti ante limi-

te limina Nazarethanæ domus Natura nostra humana, genus luculentum, per inobedientiam lapsum, infame servitute diaboli; & petit Dominum immensæ majestatis, inclinare caput illud grande, humilibus ædiculæ laquearibus ad ingressum. Sic Domine intrabis, humilia te, abscon- *Filiq* de formam Dei, & indue formam servi. *Dei* Dimitte familiam & millia ministrantium *Mino* Tibi. Utiq; venisti Domine ipse ministra *ratus.* re, non ministrari. Sola te paupertas comitabitur, contēptus & dolor famuli erūt; asellus si quando aderit, servus erit domesticus. Depone jam hic, Fili Regis Magni, vestem gloriæ, integere pellibus nostris, & quam contextam Mater dabit, de nostro paupertino vellere indue laciniam, qua splendorem generis tui contegas, fiasque tanquam unus ex nobis, ne te vel Angelus tentator agnoscat.

Hæc sunt consilia Sapientiæ Incarnatæ: Hic abyssus abyssum invocat; inscrutabilem abyssum majestatis, abscondit abyssus Minorationis. Mundus insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, ubi stultam facit Deus Sapientiam mundi.

O Homo percipisne ea, quæ sunt Dei?

Omnipotentia ejus hæsit in fragilitate luti, & nec linum fumigans extinguit: majestas in contemptu, gloria in ignobilitate, dominium in paupertate, sapientia in stultitia gentium, sanctitas in scandalo Iudæorum. Tibi munde stultitia est verbū Crucis, & Verbum abbreviationis, sed Angelum rebellem erigere solium contra thronum Domini, Parentes nostros, ut esse vellent sicut *Dij*, rapinam docuisti: hodie quoq; tuos erudis in fuga Minorationis, in auctione fortunarum, in interminatis additionibus, super-aggerationibusq; ut etiam rapiant si possint, concupiscant si non possint. Non sic impij, non sic, rapinarum hæc consilia sunt: tutiora paupertatis, in qua pax Spiritus, quam divitiarum in quibus spinæ periculosæ Majus est, raptori vestis, concedere & tunicam, per sui spoliationem, quam purpuram induere per novam acquisitionem.

Stultitia Mundi.

Huc igitur accurrite, quos humilis sors abiecit in trivium, paupertas manibus suis è cunis excepit, fortuna nec matrem nec obstetricem egit, nec nutricem. En Filius Dei, Princeps regum terræ, sepositis Paternæ Domus thesauris, Matris pauperis conditionem secutus est, & in novissi-

mo recubuit. Non reputate pauperes, in divites tantum dispersos esse thesauros Dei, vobis verò solis defuisse, quod Providentia daret Divina; Majora illis & meliora vos quoq; habere potuistis, sed consilium Diminutionis opportunius vestræ saluti fuit. Vos elegit Filius Dei, quos participes fortunæ suæ haberet socios, cognatos paupertatis suæ. Noluit ille assidere divitibus in primis cathedris, vobis se jungere in novissimo loco dignatus est, & vobiscū recumbere, ille qui semper adstitit à dextris pauperis. Vos qui honorari amatis, evehi ad sublimia vultis, ecce Dominus universorum in nostris vilitatibus consedit, imò inter vilitates quæsivit inferiores, ut profundius descenderet: omnes prætergressus divitum domos: honoratorum ædes, apud fabrum primo constitit, inde progressus ad malefactorum nomen, ad captivos, ad reos mortis, ad latrones, ad patibularios; & malefactor, & reus mortis, & latro habitus in patibulo. Quid hic inquis superbia nostra, quid cogitas? Ecce Filius Dei inter nos vilis, & infra nos vilissimus; Noluit aliter nos aptare ad gloriā suam, & heredes facere suos, quam ex consilio suæ Minorationis sorte permuta-

Humilitatis dignitas.

Profundum descēsus Christi

tam.

ta. Nostra ipse induit, sua nobis dedit, merita, virtutes, patriam, pro nostris contemptibus, infamijs, vulneribus & morte ipsa. Ille in stabulo, & in alieno natus, tu homo cœli heres factus. Ille ad terrã allisus, tu ad cœlos elevatus, ab Angelis honoratus. Ille non habens ubi caput reclinaret, tibi totum panditur regnum cœlorum. Ita contingit & apud mundum ex diminutione fieri augmẽtum; Ilias Homeri mirabilior cariorq; habita in nuce, quàm in codice. Ars major est, magna parvis concludere ideis, opera abbreviationibus. In publicis, qui crescere vult, diminui debet, prensando, ingeniculando, donando, demisso vultu petendo. Cœlum autem ejusq; regnum totum Christus redegit in minimum oleribus, in granum sinapis, quod postea per ejusdem artificium & doctrinam fit arbor: nempe minima hic in terris seminamus, opera & merita, magnos vero fructus velut ex magnis arboribus in cœlo accipimus.

Et Mundus diminuit suos

Minimorũ magni fructus

Rex Babylonis Nabuchodonosor magnus erat imperio suo, velut arbor explicatissima sub brachijs frondium gentes integras populosq; complexa, sed tamen melior erat factus, ubi dejectus est ad stabulum.

bulum à palatio: in hoc illi sensus acceptus, in illo restitutus. Ita corrigitur mundus ejusq; capita, si diminuantur & in parvum suum revocentur. Idem arcanum consilium jam correxit orbem terræ Christianum, cum summa capita demittit ad pedes pauperum lavandos, ad eum locum quo Rex regum dejecit se ad pedes piscatorum; in eaq; correctione orbis terræ novum fundamentum supposuit humilitatẽ, & jam is erit qui non commovebitur. Nam fluctuantem spiritu superbiæ & ambitionis, fixit eum humilitas Passionis. Quid amplius est, quod desideretis vos qui à fortuna humiliati, aut à virtute ad ima deducti estis? Dominus universorum eò se abiecit, gaudete cum pari, & pares loco, certate humilitate cum Deo-Homine; amate amantem & ad vos inclinatum, ac quanto pro vobis vilior, tanto sit vobis carior, quanto vicinior vobis, tanto sit & dulcior.

Magna capita ad pedes pauperu.

Vultis scire quanto spatio â sua majestate sed demiserit Filius Dei? Ecce omnes creaturas possibiles & Angelis digniores prætergressus est, nec inter Angelorum choros resedit; occurrit illi genus humanum, aulas & palatia Regum obtulit:

lit venienti, sed & hæc prætermisit; & divitum domos, & mediocri fortuna viventium ædes, ut frustra quæreretur à Magis Hierosolymæ. Substitit vero in paupere domo Nazareth, sed adhuc descensurus amplius, eo nimirum quo honestus pauper non vellet se demittere, ad locum inter latrones & patibula. Et credis hæc Christiane, hæresq; contemplaris Religiose, ruisse in hanc abyssum diminutionis? Sed esto ibi in imo cum bono IESV; tamen ille altius descendit: quia cum sit infinitæ dignitatis, maius profundum esse debet, quo illa capiatur, quam quo tuum nihil. Pusillo homini prope est, quo descendat; giganti ut demergatur, profundum altius esse debet. Magnus iste sol, cujus ortus nullo initio, meridies nullo gradu terminatur, declinavit tamen ad occasum, & nocte primum mundo apparuit in stabulo, tectus carnea nubecula in virgine: Non illam eclipsim passus est, per quam sidera lumine spoliantur, sed per quam teguntur, ut debili oculo conspiciantur. Super occasum nomen illi; nisi descendisset prius, non ascendisset ad majorem gloriam. Iter facite illi, qui ascendit super occasum, quia morte quam pertulit, resurgendo calcavit. Didi-

Statio minorati Christi

Didicimus autẽ mortales ab eo qui descẽdit ad nos, & credimus ei, angustã ibi portam, qua genus humanum de terra exilij transmigrare debet in patriam beatam, Quod ergo consilium erit ad bene transmigrandum, nisi consilium diminutionis? Decumescat igitur mundi vanitas, decrescat superbia mentis, minuatur avaritia, jejunet gula, ira se comprimat: exinaniat caro. Filius Dei consilio Minorationis ipse diminutus portam fecit angustam cœlum petentibus. *Augusta porta Minoratione postulat.*

Scimus non solitariam & secum tantũ habitare in terris Sapientiam Divinam; facit delicias suas cum filijs hominum, & magnos conventus instituit consessusque, cum sui consilij viris & amicis, & quos diminutio sui reddit similiores. Primus in hoc senatu Sapientiæ Minoratæ ponitur ille magnus coram Domino, quem minui oportebat, Ioannes; pone aderunt illi, quibus primis lex dicta est, qui major est vestrum, fiat sicut minor; Sancti inquam Apostoli; & qui se illis adjunxit, Minimus Apostolorum. Hic accipit locum Franciscus humilis, Ignatius minimus, Franciscus ex Borgijs peccator. Hic capita regum, religiosis cucullis abscon-

ſcondita, & qui Minores & qui Minimi de gradu humilitatis certant, ut demiſſius collocentur. Sed ante hos locum accipit Ancilla Domini cujus humilitatē reſpexit altiſſimus; & cum Matre Ancilla filius acceptâ ſervi formâ, caput eſt totius concilij. Quid igitur prætendemus? qui hos ſpectamus & diminui dubitamus, in honore, fama, in punctis & atomis eorum, in reſpectibus contemnendis, in laudibus reſpuendis? Nolumus in parvo aſſociari magnis, nolumus inclinari eo, ubi ſummi in mundo, Minorati conſederunt.

II. Conſilium Deſtructionis.

Venit Filius Dei in mundum, quem mundum? fatere ipſe, te immundum Xenodochium reperit, veniens inter grabatos, inter ægros domibus expoſitos; & cũ ſanaret omnes, ipſe factus eſt vir ſciens infirmitates. Famere, ſitire, percuti, deſpici, mori; contumelias improperia, vulnera, & quid non, quod toto mundo infirmitatum reperitur? irrideri, blaſphemari, lapidibus peti, tentari à diabolo, fugere à gladio perſecutore. Hoc vere es Domine IESV inter nos, quod gallina mater congregans pullos, cum ijſdem infirmata, ita nobiſcum infirmaris, & ſub infirmitatibus ſentis, quid ſit hominem eſſe, cognoſciſq; figmentum noſtrum, Repe-

Reperisti Domine eandem in hominibus, quam etiam in Angelis pravitatem, non reperisti in illis curandæ pravitatis rationem, id est carnis infirmitatem; nec etiam Angelum, sed semen Abrahæ ad redemptionem apprehendisti. O quomodo non gloriemur in infirmitatibus nostris?

Parcite nobilissimi spiritus Angelici, Sapientia Increata plus operata est in viliore materia, in limo nostro, quam in vestra immateriali dignitate, infirmitatibus nostris admissis ad intima consiliorum Dei. Atq; ita accessit homo ad cor altum Filij Dei, accessit homo, quo Angelus non admissus ad unionem personalem profundissimam. Nunquam auditum à sæculo, Deum-Angelum fuisse, nunc totus personat orbis, Verbum Carnem factum esse, nobiscum passum, & pro nobis mortuum, imò in cœnam datum, cum tamen seniori fratri Angelo non est datus vitulus saginatus, sed datus est minori fratri, peccatori prodigo, additâ stolâ & annulo gratiæ singularis. Pulchrius jam Sapientia lusit in luto nostro, cum magis abscondita consilia sua in illo expressit, artificiorumq; suorum ideas nobis efformavit? Nec satis hoc est, amplius progressa est; vultum

Infirmitatis tu[illegible] gloria

vultum suum in luto nostro signavit, & lumen majestatis suæ, non levi aliqua impressione, & quæ sola superficie contineretur, sed quæ personaliter uniret & intimi vultum divinitatis, limo nostræ humanitatis. Commendat hoc opus artificem Sapientiam, non in mirabilibus super nos, sed in mirabilibus infra Angelos in nobis fragilibus. Commendat artificem Sapientiam opus fictile, in quo invisibilia mundi visibilia apparuerunt; in quo Deus mundo magis eluxit, cum apparuit benignitas Salvatoris nostri; Simulque apparuit in imperfecto nostro, & in pelle Adæ parentis, quam perfectus sit Deus in Misericordia, in Iustitia, Omnipotentia & Bonitate sua. O admirabilis testæ nostræ fragilitas, quæ magis mirabilem Deum & magis magnificum universis creaturis expressit, & commendavit.

Erat non levis decertatio duabus his assistricibus Majestatis Divinæ, Iustitiæ nempe & Misericordiæ in controversia de capitibus nostris, tanquam de lutea testa. Institit Iustitia, ut confringeretur & contereretur in sua malitia, & perderetur reus Majestatis homo peccator; Misericordia egit, ut redimeretur infirmus homo. Jlla damnabat genus nostrum terreum, quia e-

jus superbia ascendit semper: hæc, misera tionum à sæculo objecit memoriam, & quod non esset aptior, quo magis probaretur misericors Deus, quàm homo peccator. Venit in mundum Sapientia Incarnata, appendit pretium in ligno Crucis & pretium regni; atq; discisso per destructionis consilium sacco, Misericordia persolvit Iustitiæ, & Dominæ istæ sub Cruce cōciliatæ sunt. Fortis autem armatus, qui in atrio suo obscuro tenuit captivum hominem, alligatus est Cruci, non alijs vinculis, quam infirmitatibus nostris, passione & morte: & ille qui rapere voluit sibi regalia Divinitatis, sensit erepta sibi jura in genus humanum, vi nostræ fragilitatis. *Infirmitatis potentia.*

Videtur Sapientia Divina pervagata rerum nostram descendisse in domum figuli ut incerta & occulta Dei consilia manifestaret mundo. Quo faciliùs admiranda exprimeret, molle luti corpus & infirmū assumpsit, manu sapienti versavit per admirandas destructiones & diminutiones, quibus in Angelorum incorruptibilitate locus non erat. Fortiter lutum tetigit, subegitq; suaviter, & inde novam Deo formavit gloriam, quam stulta superbia luto immerserat. Et jam sub figmento nostro *Ex luto forma gloria*

magis

magis consilia agnoscimus Omnipotentiæ, Iustitiæ & Misericordiæ Dei. Ita sane fortitudo Dei nos creavit, infirmitas Christi nos recreavit, condidit nos fortitudine sua, quæsivit nostra infirmitate:

Quamdiu Filius Dei vixit in terris temporalem vitam, mundus nec agnoscebat vivum, nec adorabat bene valentem, nec convertebatur, antequam in nostris infirmitatibus passus mortuusq; occubuisset; quia (quod ipse consilium aperuit) nisi prius sicut granum frumenti cadens in terram mortuus esset, ipse solus mansit; sed postquam sicut mortuum granum in terra, & destructum apparuisset, tunc fructum tulisset centesimum in ipsis gentilibus convertendis. Ipse enim dixit se granum esse, scilicet incredulitate Iudæorum mortificandum, ignorantia Gentilium destruendum, postea gloriose è terra elevandũ, à mundo adorandum amandumque. Plus jam est, percussori unius maxillæ porrigere & alteram, quam hostem exercitumq; delere. Si diabolus vincendus est, seipsum victor percutiat & frangat: sic vincitur ille. Congressus Dominus IESVS cum hoste antiquo, non vicit in sua majestate, sed in nostra humilitate. Si vindicta de

inimico sumenda est, ciba illum esurientē, si sitit, potum da illi, & carbones congeres super caput ejus. Ex his arcanis consilijs erat, quod Ignatius Loyola vincere volens juvenem turpiter inflammatum in scelus, seipsum frigida in flumine affixit, illum restinxit. Franciscus Xaverius nolentem pœnitere vicit, sed flagellis seipsum coram percutiendo, sicut prior Christus erat exspolians, Principatus & triumphans illos, in semetipso percusso & humiliato. *Victor se cædat*

Et hæc consilia Destructionis sui, consilia sunt Magnæ Sapientiæ novâ in domo apud nos habitantis, cum Incarnato Filio Dei.

Hæc consilia fecerunt, quod pendens in Cruce mundum universum vicerit, quod lignum Crucis regum coronas adornaverit. Nam & Cruci affixum IESVM ac morientem, universæ creaturæ publico cōspectu adorasse videntur, quod viventi non præstiterant; petræ scissæ, terra tremens, sol obscuratus, corpora mortuorum, cœli spectantes, non dubium, & Angelorū chori, effusi ad spectaculum passionis. Malignantium autem Iudæorum eum crucifigentium, parva turba erat, & in creaturarum conspectu contemnenda. Hoc

Pretium ex Destructione.

Hoc consilium Sapientiæ ferreas Petri catenas, auro fecit pretiosiores; hoc præstitit, quod Piscatorem adoraverit Imperator, quod tentoriorum fabrum Roma triũphatrix audiverit discipula doctorem: quod lapides Stephani superent Cleopatræ gemmas, Pauli gladius palmas victorum Romanorum. Huc spectãt quarum catalogos recitat Apostolus destructionum suarum vincula, virgas, naufragia, dolos fratrum, plagas & gladios. Instrumenta iam sunt pretiosa, & cœli thesauris inferenda. Vbi plus destructionis, plus honoris; & gloriosior triumphus iunioris Laurentij plura patientis, quam Xisti senioris; quippe levior est pugna Senum minus pati valentiũ Apud mundum quoq; gloriosiora sunt vulnera pro Patria, quæ plura, & mors laudabilior in defensione Patriæ, quam in naturæ defectione, ubiq; qui parce seminat laborando parce & metet colligendo.

Mundus suos destruit.

Habet & mũdus quibus suos exerceat destructionibus, sed quas non restaurat in melius. Mercatorem in mari mergit, dũ quærit divitias: Miles vulneribus conficitur, ut stipendia accipiat: agricola labore frangitur, ut alimenta capiat: desudat quisquis præmium desiderat; & tamen ho-

rum

rum laborum imaginem in nihilum redigit æternitas. O quid non ambitiosi tolerant, nunc attollantur, nunc dejciuntur, & rursum spebus crescendi concoquuntur: e medio assumuntur in altum, cadunt sæpe in profundius; & qui velut arbores erant, populorum sub ramis suis protectrices, franguntur ut minutæ virgæ. Sed has destructiones mundus exarat tantum in pulvere, quem proijcit ventus à facie terræ, & nihil ad æternitatis restaurationem reservatur.

Magnum arcanum est Sapientiæ Bonitætisq; Diuinæ in permissione malorum cum authoritate Dei pugnantium. Numquid non ptohibere potest peccatum, ne temeret gloriam ejus destruatq;. An non potest peccatorum dentes confringere, antequam admordeant honorem ejus? sed potius peccatores maleuolos ministros esse voluit consilij Destructionis: Christusque admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumberet scelери, famularentur Redemptori. Novit Dominus de malis bonum facere, judicavitq; melius esse, quam mala nulla permittere. Novit bonus pictor nigrum colorem ponere ad gratiam picturæ, & non *Permissio malorum.*

novit

novit Dominus peccatorem disponere pro suo honore? Electus est inter Apostolos & Iudas, non per imprudentiam, sed per providentiam; voluit Christus ab isto tradi, ab omnibus deseri: non amovit quæ necesse fuit venire, scandala, ut ad Sacramentū reddendæ, nobis æternitatis omnis in Christo passionis humilitas expleretur. Ita sane ejectis e mundo malis, impiis, crudelibus tyrannis, patientia non colliget de spinis rosas, Martyres gloriosi non erunt, nec beati pauperes si non spolientur, nec beati mites, si non percutiantur; nec beati pacifici, si hostem non habeant; nec beati, qui persecutionem patiuntur: nam & redemptio nostra sine impijs & malignis ministris peracta non est. Ipsæ pœnæ infernales, quæ reprobatos destruent in totam æternitatem, & temporales purgatorij, quid aliud sunt, nisi Iustitiæ Dei per destructionem satisfactiones, & defraudatæ gloriæ Dei ac obsequij, compensationes?

Mali necessarij bonis

Magnus Divini honoris cultus actusque Religionis est, eratq; sacrificium, quod per ignem perficitur consumptivum destructivumq; oblatorum. Ignis altaria ornat, thura & odores elevat, victimas consumit

sumit, mentes accendit, Deũm honorat, non alia ratione, quam destructione hostiarum ex qua, velut e cineribus phœnix, enascatur magna Dei gloria. Quidnam & ipse Deus est, nisi ignis consumens, simulq; charitas? igitur & charitas consumens est, & ignis consumens est. Si nihil consumit, nec amor, nec ignis est. Huc nostræ stipulæ infirmæ, humanæ rationes, terrestrium bonorum manipuli, huc comportentur, ut & igne & amore destruantur, dein renascantur in solida æternitatis bona. Quodsi temporali vitæ nostræ tanto apparatu sacrificatur, tantæ species, & rerum genera, individua verò infinita quotidie cadunt in destructionem velut in sacrificium usui humano, animata juxta atq; inanima, cum sensu & insensibilia, nostris usibus depereunt, sine vi rebelli, sine querela, ad necessitatem, ad placitum, ad gustum: Divino honori non cademus ipsi in altaria destructionum, pro numero fragilitatum nostrarum? Si non consumimur ipsi, nec amor, nec ignis est in altaribus nostris, sed in sacrificijs frigus sine gratia.

In sacrificijs destructio.

Perfectionis autem Christianæ mensuram quid aliud adimplet, quam consiliũ

destructionis? quantum quis sui consumpserit, tantum profecerit. Plus ascenditur in gradus perfectionis, si plus destruitur cupiditatis, sensualitatis & amoris sui.

Perfectio in destructione

Christus IESVS in Cruce elevatus, nudus, effuso sanguine exhaustus omni ratione honesti spoliatus, & vita, doloribus exinanitus pependit sine fama, sine honore, sine veste, sine amicis, discipulis. A Patre etiam derelictus, à matre non adjutus, ipsâ etiam suis gladijs dolorum confectâ, in manibus hostium à suis relictus, non defensus, morte crudelissima consumptus, quid amplius facere potuit, & per destructionem consumere, ubi quidquid fuit per exinanitionem consummatum est

III. Consilium Exinanitionis

Sed fugitur à Domino patiente crucifixo & exinanito? fugiunt, quibus mundus carus est, & habendi desiderium. Vos quibus sors quidquid patiendi cecidit, & pati debetis, numquid & vos abire vultis? sed quo ibitis à Verbo æterno patiente? Reliquit Filius Dei cœlo receptus, in terris, victoriarum suarum insignia, destructionum instrumenta, crucem, & nemini ante illum, dilectam, post illum, Petro gloriosam, Andreæ pretiosam, Latroni fructuosam, Martyribus speciosam,

jam regibus ad ornatum, Principibus ad honorem, militibus ad signum, omnibus ad lucrum. Reliquit cum cruce flagella, vincula, opprobria, confusiones, alapas, silentium, fel, acetum, & mortem. At quibus ea reliquit? accurrite Martyrum, legiones, Religiosorum cœtus, afflictorū, & humiliatorum exercitus, vobis & vestrum singulis relicta sunt; accipite cara hæc pignora beatitudinis, amplectimini & conservate. & vos, quorum universum stratum versatur in infirmitatibus; & vos quos, mundus odio habet, & quos aversa fortuna jactat, casus exercet, pauperies deprædatur, sors ultima deponit in novissimo, & sepelit oblivione.

Passionis instrumēta relicta à Christo nobis.

Vt promoveret arcana sua Sapientia Dei, instituit societatem consilij sui in terris, & socios adscivit, quos ad eadem consilia admittere dignata est: socios non ad creationem mundi, non ad miracula, non ad primum locum honoresq;, sed ad diminutionem sui destructionemque. Socij sumus, sed dishonorati IESV, ne ambiamus aut intra, aut extra domum honores. Socij sumus, sed ad stultam sapientiam, ut etiam cum bona doctrina, stulti haberi velimus. Socij sumus, ejus vestē indu-

induti coloremq; , in laboribus sine stipẽdio, in peregrinationibus Evangelij sine viatico, in Ecclesiæ obsequijs sine honore; ut minimi, odijs agitati, persecutionibus exercitati, Socij vere ejus, quem priorem mundus odio habuit.

Ita igitur Sapientia Divina, ô mortales, attingit à fine ad finẽ fortiter & omnia disponit suaviter. A primo fine Deum fortẽ adduxit ad humanas fragilitates, immersitque infirmitatibus ipsam fortitudinẽ; ubi limum nostrum ita robusta manu apprehendit, refecitq; ut cœlo inferri posset. Alterum finem attigit, ubi in ligno regnantem Deum posuit, ejusq; regnum æternum statuit, simulq; Filio Regis nuptias adornavit. Carmen nuptiale dedit hoc Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem. Cœna apparata ex frumento emortuo, ex carne agni immaculati in passione cæsi, condimẽta ex varijs destructionibus & exinanitionibus in ligno pendẽtis. Convivas primos in mensa ponit, qui plurima passi, sanguine proprio purpurati, tum qui veste nuptiali conspicui, ipso paupertatis amictu, qui apud se nulli, contempti, qui ultimi in terris, & nouissimo loco consederunt, vix micas de mundi mensa colligentes. Veni-

Nuptiæ agni occisi.

AFFECTUS X.

Ad IESUM Christum in Cruce Agonisantem.

Ex Prodromo ad felicem mortem.
P. GASPARIS DRUZBICKI.
Societatis IESU.

PRamissâ vividâ Verbi Incarnati IESV Christi in Cruce agonisantis, atq; cum morte ultimum colluctantis consideratione, ejusq; inter immensos illos dolorum fluctus, & inter cordiales illas Sanctissimæ Suavissimæq; Humanitatis angustias apprehensione eliciam Actus affectusq; sequentes, tam vitæ, quam etiam mortis & agonis mei momentis accommodatos.

1. Affectus. *Exceptio Animæ IESV Christi, ultimiq; Spiritus, & anhelitus ejus, in Cor animamq; meam, una cum postulatione à Christo agonisante, ut me anima suâ, Spirituq; suo animet in vita & in morte: quoniam ejus solius & solo Spiritu vivere cupio in tempore, in mortis articulo, in tota æternitate.*

JESV in Cruce agonisans & moriens

 immit-

immitte quæso, Spiritum tuum in cor meū illocq; animam vivifica: quoniam teste, & dante te, tuo Spiritu solo vivere volo, tam in tempore vitæ, quàm in æternitate.

2. Affectus. *Desiderium mortis, eo solo motivo, ut quam primum agonisanti & moribundo in Cruce pro me IESV Christo, cultum Latriæ condignum exhibeam, meaque morte, mortem ipsius quoad poßum compensem:*

JESV in Cruce agonisans & moriens pro me, adoro Te adoratione Latriæ debita Tibi: insuper mori totis viribus cupio, ut morte mea quam citissimè agonisantē morientemq; te pro me in Cruce, venerer mortemq; Tuam, morte meâ quoad possum compensem.

3. Affectus. *Præsentabo mortem meam, Agonisanti Christo, ejusq; mortis instanti atque Agoni, Agonem meum instansq; mortis meæ commendabo.*

JESV in Cruce agonisans & moriens pro me, Instanti mortis Tuæ & Agonis Tui pretiosi, instans mortis meæ & agonem meum, humillimè præsento, commendo, unio, consecro.

4. Affectus. *Obtestabor Christum Agonisantem ut instans mortis illius, in mortis*

meæ

Venite igitur ad nuptias Agni, parata sunt omnia in perpetuas æternitates. Venite quos patientis Christi successores fecit patientia, disposuit Sapientia, eo viciniores sponso, quo diminutione & exinanitione similiores. Venite Martyres, venite à mundo afflicti, odijs agitati, oppressionibus, calumnijsq; obruti, atq; huc comportate vestras cruces, gladios, injurias doloresque.

Properate ad has nuptias, & quos manus Domini tetigit, morbisq; deposuit: & quos amara mors pulsat, moribundi comportate vestros dolores, jacula morborũ, desolationes tædiorum, destructiones, incinerationes, eaq; reponite per manus patientiæ, in thesauris Christi patientis. Ecce Sapientia Divina suaviter vobis disponit omnia; vobis leonem mortuum fortiter tenuit, & fecit de forti exire dulcedinem. De vulneribus IESV in Cruce mortui, solatia in patiendo, gratiam in tolerando; ut cum illo vobis dulciora fiant patientiæ condimenta. Illa vobis exilium pro Christo vertit in patriam, cruces in delicias, flagella in ornamenta, ignem in rorẽ, mare in tabernacula cum Clemente crates ferro candente, in lectum gloriosum

cum Laurentio, morbos in salutem, vulnera mortis in præmia, injurias in beatitudines. Vobis has nuptias paravit & cœnã magnam, ad quam invitari jussit debiles, claudos, à mundo destructos, non corruptione carnis, sed mortificatione mentis, quos virtus excæcavit, imitatio Christi mutilavit, perfectio Christiana exinanivit, consilium deniq; destructionis accommodavit consilio Divinitatis.

Quam felix ego sum? qui cum patior, ad consilium magnum Sapientiæ vocor & disponor? Pati possum, & pati volo, diminui destruiq; possum, & destruar: mori possum & debeo, moriar cum Deo moriente. Veni Domine IESV. Te sub infirmitatibus nostris diminutum, destructum, exinanitumq; adoro, amplector, imitor, amo & benedico. Tecum infirmari, diminui, exinaniri, in vita & in morte assentior, & desidero: atq; in his affectibus reliquum vivo & morior.

mea instans influat, illudq́ dignificet, & in conspectu SS. Trinitatis gratum, atq́ pretiosum reddat.

JESV in Cruce agonisans pro me, per hunc agonem Tuum quem in manus Patris æterni commendasti, obtestor Te, ut Instans mortis Tuæ in mortis meæ Instans influat, illudque dignificet, & in Sanctissimæ Trinitatis conspectu gratum atque pretiosum reddat.

5. *Affectus. Obsecrabo IESVM Christum ut quemadmodum in Cruce agonisans orasit Patrem pro Crucifixoribus suis, ita etiam eundem oret pro me Crucifixorum suorum primo, truculento, & maximè diuturno.*

JESV in Cruce agonisans pro me, & orans ibidem pro Crucifixoribus Tuis, obsecro, ut ores pro me quoq; Crucifixorum Tuorum primo, truculentissimo, diuturnissimo; & des mihi verum, sincerum stabilemque amorem, inimicorum meorum.

6, Affectus. *Stillantem agonisantis in Cruce IESV Christi sanguinem adhucq́ calentem, lambam & colligam, optans & petens, ut IESVS in hora mortis meæ, agnoscat me saltem pro ultimo redemptorum suorum*

orum. & in illo decretorio momento, propter magnam misericordiam, copiosamque redemptionem, misereatur mei,

JESV agonisans in Cruce pro me, stillantem tepentemq; amore mei Sanguinē Tuum; colligo & lambo devotus, optans simul & petens à Te, ut in hora mortis meæ, adnumeres me saltem ultimis redemptis Tuis, & in illo ultimo decretorio Agonis mei momento, secundùm magnam misericordiam, copiosamq; redemptionem Tuam miserearis mei.

7. Affectus, *Quia IESVS Instanti mortis suæ, consummavit (ipso teste) redemptionem nostram, ideo in sola Passione, Vulneribus & morte illius, salutem meam æternam vivens & moriens sperabo & sperare me protestabor.*

JESV agonisans in Cruce pro me, nullam omnino spem salutis meæ æternæ, aut nunc habeo in vita, aut habere volo; protestorq; in morte mea, præter quam in Sacratissimis vulneribus doloribusq; Tuis, & in mortis Tuæ instanti quo redemptionem nostram consummasti. Mi IESV, mors Tua, sit vita mea.

8. Affectus: *A IESU Christo agonisante, per ejus agonem petam, ut in tempore mea*

meæ mortis, ipsum IESUM tribus horis in Cruce cum doloribus mortis colluctantem, Cor meum fatiscens & morti succumbens exanguiaq; oris mei labia personent, eiq; conatui immoriantur.

IESV agonisans in Cruce pro me, Te ego pauperculus servus Tuus, per trihorium & agonem Tuum, quo cum doloribus mortis in Cruce colluctatus es, obsecro, ut Te talem in hora mortis cognoscam, credam, imiter, venerer, diligam, atque corde meo morti succumbente, exanguibusque ac lutescentibus labijs meis, personem, invocem, demurmurem, ac laudandi invocandique Tui conatui ultimatè attendens, immoriar.

9. Affectus. *Sicut IESU Christi ultimũ vitæ Instans, fuit ardentissimus Patris æterni ac hominum, meiq; licet indignissimi amor; ita postulabo ab IESU agonisante, ut ultimum quoq; instans vitæ meæ, sit ardentissimus IESU amor, quo cor & anima mea. & incensa ignescat, & vulnerata moriatur, & consumpta in cinerem favillamq; convertatur.*

JESV agonisans in Cruce pro me: Cupio, propono & abs Te peto; ut instans ultimum, vitæ mortisq; meæ consummativum,

vum, sit ardentissimus Tui amor, quo cor meum, & accensum ignescat, & vulneratum moriatur, & consumptum incineretur & favillescat.

10. Affectus. *Præmissa aliquantâ imaginatione & recogitatione, agonis mei in morte futuri, ac si jam præsens & in actu praxiq; esset, vehementes in IESUM amoris mei actus æstusque excitabo, connitens & cupiens, ut oblitus angustiarum mortalium, Cor meum etiam emoriens, amoris ignibus æstuet, palpitet, concutiatur, & à morte in amoris actu inveniatur.*

JESV agonisans in Cruce pro me, amo te quam possum ignitissime & æstuosissime: quomodo & amare te volo statuoque in mortis meæ agone, in quo ut Cor meum amoris Tui ignibus, Seraphicis, Marianis, Tuis, æstuet, palpitet, concutiatur, eorumq; actu & æstu conficiatur & emoriatur, Tu mi JESV propter agonis mortisque Tuæ Instans, misericordissimè facito.